

GILLEBERTI

CARMINA.

—

---

*Huius libri centum quinquaginta tantum  
exemplaria chartae minori, quinquaginta chartae  
maximae et quatuor exquisitissimis membranis  
impressa sunt.*

---

N.Lat.  
155

UB Düsseldorf

+4120 290 01

*N. Lat. No. 155.*









**GILBERTI**

**G A R M I N A .**

---



GILBERTI  
CARMINA

EX CODICE SEC. XII. BIBLIOTHECAE REGIAE  
BURGUNDICAE

NUNC PRIMUM EDIDIT

LUDOVICUS TROSS.

---

HAMMONE.

SUMPTIBUS L. TROSSII.

MDCCLXIX.

ALVAIR-LENG-YEN

P. A. BOYK

O. D. D.

EDWINGEY JERRY

Das ist ein...  
...  
...  
...  
...

SUAVISSIMO AMICO

**P. C. BOCK**

ACADEMIAE REGIAE BELGICAE SOCIO ADSRIPTO

**D. D. D.**

**LUDOVICUS TROSS.**

Ipsa mihi tractatio litterarum salutaris  
fuit admonitque, ut a te ipso su-  
merem aliquid ad me reficiendum  
teque remunerandum, si non pari,  
at grato tamen munere. Cic.



# PLATON

Die Republik

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to be a philosophical or historical treatise.



## PRAEFATIO.

---

**H**aud immerito eruditissimi Germaniae aliarumque terrarum viri nostris potissimum temporibus diligentem operam navarunt colligendis atque edendis mediæ aevi reliquiis poeticis iis praesertim, quæ ad poesin quam vocant popularem pertinent. Namque præter eos scriptores, qui rerum gestarum seriem annalium sive chronicorum forma contexuerunt, vix alia reperiuntur litterarum monumenta, quæ maioris habenda sint momenti ad accurate cognoscendum populorum singulorumque in iis ordinum statum, quam hæc ipsa poemata, quæ verissimam temporum morumque imaginem ante oculos animosque proponunt.

Magnam eiusmodi poematum multitudinem etiamnum in variarum per Europam bibliothecarum scriniis

latitare norunt omnes, quibus evolvendorum veterum librorum manu scriptorum concessa est ac parata facultas, neque harum reliquiarum uberior notitia et quasi conspectus litterarius poterit exhiberi, nisi ante accuratior et plenior, quam vulgo factum est, omnium, quae in singulis codicibus continentur, recensensus in catalogos fuerit relatus. Saepe enim in uno eodemque volumine tanta minorum diversissimi argumenti libellorum coniuncta est et compacta multitudo, ut singulorum omnium inscriptiones et argumenta recensere non modo taedium plerisque pariat, sed etiam factu difficillimum sit, quum eiusmodi libelli saepius inscriptione careant et continua serie, spatio nullo relicto, alter alterum subsequantur. Neque minus saepe in librorum scriptorum, ubi talia vix quaesiveris, foliis vel paginis et minoribus, quae vacua erant relicta, spatiis epigrammata, carmina, epistolae vel alius cuiuscunque argumenti scripta minora reperiuntur, aut a librariis ipsis, aut a posterioribus codicum possessoribus adiecta, quae quam facile vel diligentissimi indagatoris solertiam fugiant, non est quod uberius exponam. Haud raro etiam factum est, ut minores eiusmodi reliquiae per varia volumina dispersae, carmina praesertim, et ea

quidem maxime, quae ad populare genus pertinerent, consulto negligenter neque in librorum indices referrentur ab iis, quorum curae id negotii erat mandatum, quum aut vix ea memoratu digna (quippe quorum utilitas esset nulla) haberent, aut etiam, id quod experientia aliquoties ipse didici, timerent ne quid inde, si in lucem prodissent, detrimenti ad ecclesiam, ad religionem morumque honestatem redundaret.

At vero mihi multos iam per annos latina mediæ aevi cuiuscunque generis carmina conquiriti largam eorum messem colligere contigit, quam, nisi temporum, quae cursamus, iniquitas prohiberet, iam nunc publico omnium usui manciparem. Ne autem consilium hoc meum, quod hortantibus et adiuvantibus amicis inii et strenue sum persecutus, plane abiecissem viderer, interea, et dum laetior rerum et ad haec studia opportunior redierit status, specimen aliquod collectionis a me institutae edere constitui, quo et reliquis edendis viam pararem ac munirem. Aptissima ad hoc mihi visa sunt maiora duo Gilleberti carmina, e bibliothecae, quae Bruxellis est, regiae Burgundicae codice, cuius uberiores descriptionem suo mox loco daturus sum, deprompta, quibus si non grata quaedam suavitas atque

elegantia, at gravitas certe et praestantia sua quin sit adiudicanda, neminem esse dubitaturum confido.

Floruisse Gillebertum nostrum medio fere aut exeunte seculo XII. et codicis ipsius, unde desumptus est, aetas, et carminum ac versificationis indoles satis clare produnt; sed ubinam terrarum et locorum vixerit, iuxta cum ignarissimis ignoro. Fuisse autem virum satis eruditum, pium ac vere religiosum, et cui ecclesiae salus et vitae integritas morumque sanctitas cordi esset, ex utroque carmine facile potest iudicari. Non enim petulanti ac procaci modo, quae sana et integra erant, ut risus captaret, facetiis perstrinxit, sed severa cum gravitate, id quod cordati hominis est, ut emendaret corrupta atque in pristinam integritatem reformaret, varios, qui tum vigeabant, et perniciosos abusos, simoniam videlicet et altioris maxime cleri deperditam luxuriam, notavit acriter et flagellavit.

Magnus fuit medio aevo, seculo praesertim duodecimo, Gillebertorum numerus, quorum catalogum Io. ALB. FABRICIUS in Bibliothecae mediae et infimae latinitatis libro VI. exhibet. Plures eorum, v. c. Gilbertus Dorcadus (circ. ann. 1160), quem Baleus et Pitseus varia tum versu tum prosa scripsisse indi-

cant (Fabricii l. c. p. 163 ed. Hamb.), Gilbertus abbas aureae vallis (circ. ann. 1200), et Gilbertus, Cisterciensis familiae et Cisterciensis coenobii abbas totiusque ordinis patriarcha generalis, qui obiit A. D. 1168 (LEYSER, historia poetarum et poematum medii aevi, p. 433), poetica claruerunt. In his utrum carminum, quae hoc libro continentur, auctor quaerendus sit necne, equidem haud affirmaverim, quoniam necessario ad hoc apparatus litterario destituor, sine quo ejusmodi quaestiones controversae dirimi nequeunt.

Neque minus altera, quae oritur, de terra loquoque, ubi Gillebertus natus sit atque vixerit et carmina sua composuerit, quaestio, liquido potest diiudicari. Nihil enim in ipsis carminibus inest, quod certa et explorata ratione aut ad Belgium, aut ad Galliam, aut ad Britanniam Germaniamve speciatim sit referendum, quum temporibus illis ubique fere in his terris idem fuerit rerum status eademque cleri maioris, archiepiscoporum, episcoporum, archidiaconorum et abbatum perversa ac corrupta conditio. Ne ex garcionum quidem vocabulo certi quidquam efficitur, utpote quod plurimis illius temporis scriptoribus familiare fuit, adeoque in carmine germanico de Nibelungis occurrit.

Quod quamvis ita sit, probabile tamen mihi videtur Belgam fuisse Gillebertum, aut saltem in Belgio vixisse et scripsisse. Plurimi enim illius aetatis Belgae litteris claruerunt, quorum scripta permulta in instructissimis huius terrae bibliothecis servantur nondum edita, sed quae in lucem proferantur magna ex parte dignissima. Iam etiam codex ipse, e quo manavit editio nostra, belgicam manifesto prodit originem, neque quidquam obstat, quin eum ipsa auctoris manu scriptum existimemus. Praeterea in Belgio, quod proximum praeter Angliam et opportunum egenis scoticae gentis perflugium praebebat, plura erant instituta Scotorum monasteria, eo maxime consilio, ut egenorum et peregrinorum, et in his Scotorum, necessitatibus provide-retur. Magnam certe egenorum Scotorum multitudinem medio aevo, bellorum maxime sacrorum temporibus, per varias Europae partes vagatam esse constat stipem quaerentium et opulentiorum erga pauperes munificentia vitam sustentantium.

Insigne eiusmodi instituti exemplum, a Bockio mihi suppediatum, in *MIRAEI dipl. belg. L. II., c. 24,* (opp. T. I., p. 225) occurrit, ubi in diplomate, quo Walciodorensis Benedictinorum abbatia ad Mosam flu-



vium, in comitatu et dioecesi Namurcensi, ab Eilberto comite ac domino Florinensi eiusque coniuge Heresinde anno DCCCCXLVI fundatur dotaturque, inter alia leguntur haec: „Quorum petitionibus nos, sicut aequum erat, aurem libentissime accommodantes . . . . . statuendo decrevimus, ut illud monasterium perpetuo in usus PEREGRINORUM et PAUPERUM stabiliatur, firmetur atque corroboretur, et semper in ditione SCOTORUM permaneat, et quamdiu aliquis illorum vixerit, nullus alius fiat abbas, nisi unus ex ipsis; post vero decessum illorum alius, Deum diligens et amator sanctae Regulae, efficiatur abbas; ipsum autem monasterium, quod ad hoc noscitur esse constructum, vocetur deinceps MONASTERIUM PEREGRINORUM.“ — Eiusmodi monasteria labentibus annis satis constat a primo foundationis consilio adeo descivisse et degeneravisse, ut, quae ad sustentandos egenos et peregrinos fuerant destinata, perditae luxuriae abbatum et monachorum inservirent. Quod quin et in Belgio factum sit, vix potest dubitari, quam ad labem loci illi p. 20, de Scotis aegrotantibus, spectare videntur. Praeterea Belgam fuisse Gil-

lebertum et in Belgio scripsisse eo maxime fit probabile, quod tam acriter contra simoniae labem pugnat, quam ibi tum temporis prae aliis terris pullulasse constat. Anno siquidem MCLXXXVIII in solis Leodii confiniis sexaginta sex repertae sunt ecclesiastici ordinis personae, quae praebendas suas ac dignitates vetito modo atque illicite erant consecutae. (RAUMER, Hohenstaufen, VI., p. 194.) Reliquos etiam abusos, quos deslet Gillebertus, et qui pii poetae bilem movebant, in Belgio viguisse inde facile efficitur, quod eodem fere tempore circa Leodium plures erant canonici, qui cum solennitate, quae solet in matrimoniis observari, uxores duxerant. (Regesta Honorii III., ann. II. 1041.) Plura argumenta non deerunt iis, qui belgicarum provinciarum historiae me sunt peritiores.

Est autem codex membranaceus, folio quod vocant minore, seculo XII. exeunte, aut XIII. ineunte scriptus eadem manu, miscellaneus, CXLVI. foliis constans et numeris 723 — 727 insignitus. Quaevis pagina duas complectitur columnas elegantibus satis et luculentis litterarum formis exaratas. Primum locum obtinet RADULPHI FLAVIACENSIS liber in tractatum Levitici; secundum, inde a folio 115 v., Vita S. THOMAE Can-

tuariensis archiepiscopi; tertium, inde a fol. 113 r., Vita Domni ALBERTI Ep. Leodiensis; quartum et quintum, a fol. 137 ad 146 GILBERTI carmina duo. Fuit olim monasterii Heylichsem in Brabantia orientali, et vix dubium est, quin ibi fuerit scriptus, quum iidem litterarum characteres in plurimis, qui ex ea provincia oriundi sunt, codicibus conspiciantur.

Gilleberti nomen litteris primarum stropharum secundi carminis initialibus expressum est, et quamvis primum, quod de superfluitate clericorum inscribitur, illud prae se non ferat, tamen dubitari non potest, quin utrumque eundem habeat auctorem. Tanta enim est dictionis et versificationis similitudo, et eadem plane utriusque indoles ac natura, ut, qui neget, neminem esse credam. Primi carminis se auctorem idcirco noluisse videtur profiteri, ne in eorum incurreret invidiam, quorum perversitatem tam vivis coloribus depinxerat.

In constituendis poetae verbis diligenter codicis ipsius vestigia sum secutus, ita tamen, ut, quae manifesto depravata essent, studerem emendare. Neque orthographiae, quae in veteri libro est, rationem, ubi ab ea, qua vulgo uti solemus, discrepabat, retinui, sed ubicunque e pro ae, v. c. hec, ledi, heret, pro

haec, laedi, haeret, scriptum erat, et similia, tacite mutavi. Omnes vero, quae alicuius momenti essent, discrepantias et leves aliquot verborum transpositiones, quae in chartas typothetae traditas irrepserant et in corrigendis speciminibus oculos meos fugerant, in annotationibus sedulo indicavi. Glossas etiam et singulas notas marginibus appictas, et quas ab ipso carminum auctore esse profectas admodum probabile est, et variantes lectiones aliquot vocabulis superimpositas eadem cura in appendicem retuli, ut de veteris illius libri conditione ac natura iustum esset viris harum rerum peritis et facile iudicium. Alias notas consulto non addidi, quod omnium vocabulorum rariorum et minus latinorum explicationes ex Du Cangii glossario possunt peti. Denique id egi, ut chartarum bonitas et nitor et typorum elegantia vel delicatulis librorum amatoribus sufficere possint. Quodsi operam Gilleberto a me impensam viris eruditis haud omnino displicuisse intellexero, erit quo laeter.

Dabam Hammone Kal. Nov. MDCCCXLIX.

---

**GILBERTI**

**CARMENA.**

---





INCIPIT DE SUPERFLUITATE CLERICORUM.

---

Ad scribendum equidem hebes et piger sum,  
Sed cum vulgus videam vitiis immersum  
Clerumque conspiciam undique perversum,  
Si natura denegat, facit ira versum.

Irascendo doleo cuncta permisceri,  
In se trahit omnia turbo venti feri,  
Stat dolosa falsitas, cadit amor veri,  
Bonum esse pudor est vel bonum videri.

Libet mihi plangere, quia nemo plangit,  
Planctum cogor edere, planctum dolor frangit,  
Qui tam multipliciter cor et guttur angit,  
Quam est lamentabile malum, quod me tangit.

Tangit? immo cruciat et totum possedit,  
Domus enim domini zelus me comedit,  
Qua quondam canities ad regendum sedit,  
Nunc subiecta pueris, pueris obedit.

Dignitate pueri fulgent cathedrali,  
Qui se nondum didicit stringere brachali,  
Alios iam cingulo stringit magistrali,  
Talis bene dignus est dignitate tali.

Si de tali puero surgit controversia,  
Advocatus pueri pura conscientia:  
Iste puer, inquit, est dignus hac ecclesia,  
Nobilis est nobili natus ex prosapia.

O pulchrum eloquium viri sapientis!  
Optime proposuit vir discretæ mentis!  
In rectore puero meritum regentis  
Dum quaerit, non invenit nisi genus gentis.

Et revera, quisquis est nobilis et dives,  
Statim est idoneus ad regendos cives;  
Male mos, qui provehis in malum proclives,  
Tunc nunquam occides? tunc semper vives?

Pueros, qui praesident, iubent praesidere,  
Sed horum prudentia quae sit, intuere;  
Propter hoc puerulos student promovere,  
Ut possint diutius reditus habere.

Infelices pueris sibi que catenam  
Nectunt, unde pariter trahantur ad poenam,  
Suam hos Leviathan trahit in sagenam,  
Redditurus his et his ad mensuram plenam.

Prudens vir sollicite dudum meditatur,  
Si vacat ecclesia, cui committatur,  
Pastor ut idoneus populo quaeratur,  
In secretum convocans suos, ita fatur:

Sicut ad me pertulit novae famae sonus,  
Nunc vacat ecclesia, cuius sum patronus,  
Mihi iam incumbere scitis istud onus,  
Vir quaeratur, populo pastor qui sit bonus.

Utile consilium volo mihi dari.  
Dicunt sui: Nolumus vobis aduari,  
Convenit et iustum est hos remunerari,  
Qui nobis fidelius solent famulari.

Decet ut per divites adiuventur cuncti,  
Qui sunt cum honoribus potestate functi,  
Tamen specialius promovendi sunt hi,  
Qui familiarius vobis sunt coniuncti.

Huic vestro consilio bene debet credi,  
Feci, quod consulitis, nemo debet laedi,  
Si iam meo filio fundi donum dedi,  
Iure suo quilibet providet heredi.

Novi quendam vetulum, ossibus vix haeret,  
Hic si nunc in feretri lectulo iaceret,  
Filius ecclesiam cras alter haberet,  
Penum Bacchus, horreum mox Ceres impleret.

Vicaria dives est mihi bene nota,  
Anmodo non dabitur ulli, credo, tota,  
Portione tertia vel quarta remota  
Laetus ibi serviet quivis idiota.

Litteratos clericos volumus cavere,  
Tumidi scientia nolunt subiacere,  
Idiota quilibet promptus est implere,  
Timeri non appetit paratus timere.

Reprehendi metuens nil tibi negabit,  
Pro suis excessibus quemque formidabit,  
Dare coget alios, ipse quoque dabit,  
Non suum, sed tuum est, quidquid congregabit.

Tibi sit extraneus barbarus et Scythia,  
Qui non novit dicere nisi non vel ita,  
Cuius nunquam poterit reprehendi vita,  
Nil tibi lucrabitur, illum tu devita.

Omnia subtiliter et bene dixisti,  
Duas nunc ecclesias caute locavisti,  
Quae vacat, de tertia quid disposuisti?  
Audi, quale dominus responsum det isti.

Quid? illam, quae tritici modios dat centum,  
Vasa vini quindecim et, praeter argentum,  
Dat equos, dat asinos, greges et armentum?  
Hanc dari non suadeat ullus sapientum.

Vivens hoc vivarium nulli resignabo,  
Non sum tam improvidus, tam lippus, tam strabo,  
Dare si contigerit, huic septem dabo,  
Rei nomen habeat, ego rem servabo.

Quidquid mali patitur et dolet ecclesia,  
Illorum, qui praesident, surgit ab incuria,  
Vel, quod magis verum est, eorum insania  
Triticum dominicum vertit in zizania.

Numquid sani capitis dices illos esse,  
Senibus qui pueros faciant praeesse?  
In quo possunt puëri senibus prodesse?  
Qui sic arant, debita non carebunt messe.

Quaenam haec perversitas? qui perversi mores?  
Ecce, parvi pueri senum sunt rectores,  
Obedire parvulis iubentur maiores,  
Ordo est praeposterus, similis monstro res!

Immo vere monstrum est, nemo sanus neget,  
Regere se nesciens aliosne reget?  
Qualis erit populus, qui sub tali deget?  
Non custodit alios, qui custodis eget!

Forsan ignoscendum est aetati parvorum,  
Sed adulti diligunt doctrinam maiorum,  
Nec mirum, si retinent exempla suorum,  
Naturam non deserit lupulus luporum.



Poena quoque mitior erit iuniori,  
Iuventute trahitur et servit calori,  
Sed quid iam decrepito dicam seniori?  
In pelle, qua nascitur, solet lupus mori.

Et scripturas forsitan minime noverunt,  
Ob hoc inculpabiles apud deum erunt.  
Si hoc est, utiliter nihil didicerunt,  
Qui sic ignorantiam palliare quaerunt.

Unde vobis, clerici, sic abundant omnia?  
Capellani, comites et tanta familia?  
Unde tot deliciae, tot crebra convivia,  
Et aurum in digitis, et suppellex varia?

Aspice sublimia culmina domorum,  
Aequa sunt palatiis regum antiquorum,  
Nec solum sublimitas sufficit murorum,  
Variorum pingitur specie colorum.

Columnis marmoreis domus sustentatur,  
Et cortinis variis aula decoratur,  
Vel, quod magis allicit, murus picturatur,  
Et res gesta principum oculis monstratur.

Velamen superius sic compaginatur,  
Vario sic lapide tellus adornatur,  
Ut, quocumque radius oculi feratur,  
Semper spectet aliquid, unde iucundatur.

Lectus delectabilis domino locatur,  
Sericis qui vestibus et ostro velatur,  
Et ne planta domini tenera laedatur,  
Tapeti mollities pedibus calcatur.

Vix fert pondus pertica vestium multarum,  
Et ignorat dominus numerum earum,  
Sed cum tantum pendeant cibus linearum,  
Rerum testimonium dant superfluarum.

Pauperum quotidie videns nuditatem  
Heu! cur tantam congregat superfluitatem?  
Quidquid ad lasciviam non necessitatem  
Habet, ei vertitur in rapacitatem.

Suo soli corpori tot studet aptare,  
Vestibus tot miseram carnem aggravare,  
Unde centum pauperes posset recreare  
Et contra saevitiam hiemis armare.

Sed haec surdis auribus trado monumenta;  
Mirum, si libenter haec ferunt indumenta,  
Cum ornare studeant etiam iumenta?  
Equus habet faleras, habet ornamenta.

Sonipes lasciviens strepit faleratus,  
Tinnulis, bracteolis et gemmis ornatus,  
Strepo pendet aureus ad utrumque latus,  
Cuius regis magis est equus decoratus?

Viam rectam quadrupes nescit observare,  
Gemmae ni resplendeant circa caput clare,  
Sella nequit dominum suaviter portare,  
Ni splendenti cernat hanc auro radiare.

Non debet recipere pedis laqueati  
Plantam nisi circulus streponis gemmati,  
Non erunt quadrupedis gradus ordinati,  
Monitus ni sentiat calcaris aurati.

Hanc insanam intuens curialitatem,  
Clericalis ordinis ploro sanctitatem,  
Ploro, quod defluxerit in hanc vanitatem,  
Laicorum superans superfluitatem.

Nam quem vides laicum plus se redimire?  
Collum cernis clerici limbum circuire,  
Cuius posses pretio militem vestire.  
Talem feminarum est habitum ambire!

Senes ornant tremulos iam vicino fine  
Non minus quam pueros gulae mustelinae,  
Quos nunc vestit dignitas pellis sabellinae,  
Paulo post excipiet planetus libitinae.

Fluunt et superfluunt horum promptuaria,  
Nulla suos afficit vel tangit penuria,  
Resonat et lusibus tota strepit curia,  
Organizant, concinunt voce multifaria.

Ille globum sequitur, hic studens in scacis  
Excitat ingenium animi capacis,  
Hic ad ludum residens aleae rapacis  
Tolerat insidias tesserae fallacis.

Domos si circueas quatuor vicorum,  
Vix vel non inuenies tot modos ludorum,  
Unus solus ambitus claustrum clericorum  
Plus habet lasciviae, multo plus iocorum.

Rebus in contrarium nimium mutatis  
Quisnam flere poterit vel dolere satis?  
Ubi caput debuit esse sanctitatis,  
Ibi fons et studium omnis vanitatis.

Omne genus hominum sudat in laboribus,  
Per quos necessaria quaerant suis domibus;  
Clerici, qui affluunt variis redditibus,  
Unde suos occupant servos nisi lusibus?

Et labores alii sustinent et poenam,  
Isti, quibus copia dat mensuram plenam,  
Apta loca lusibus, curiam amoenam,  
Ludunt et post prandium, ludunt et post coenam.

Manducare populus sedit atque bibere,  
Postquam satiati sunt, surrexerunt ludere,  
Hi quamvis in vituli non ostendant opere,  
Non multum dissimiles sunt illis in scelere.

At pater familias lactus absque rugis,  
Iam finiti metuens tempus ludi iugis,  
Ait, o sol invide, cur tam cito fugis?  
Cur nos esse prohibes dulcibus in nugis?

Tamen dum recesserit diei laetitia,  
Generis alterius nox reducet gaudia,  
Noctis multa commoda, multa beneficia,  
Diem saepe superat noctium lascivia.

Divino officio laudis vespertinae  
Aliis instantibus, ipse medicinae  
Studet avis, quae iam est in vivendi fine,  
O dolor, o gemitus cladis repentinae!

Tandem hanc in pertica sistit cum dolore  
Et noctem pervigilem ducit in maerore,  
Vix erumpit tenuis radius aurorae,  
Servientem excitat cum magno clamore.

Surge cito, respice, si digessit avis.  
Non! Egessit? Ita, sed olor est non suavis.  
Ha miser! Ha perii! Dolor mihi gravis!  
In tantillo corpore non fuit tanta vis.

Nisum tam amabilem nullus unquam vidit,  
Mihī mortis stimulus nimium invidit,  
Quae milvis et noctuis parcat, hanc occidit,  
Meliora quaelibet semper mors abscidit.

Ad praelatos probitas eius iam pervenerat,  
Fere centum solidos quidam mihi dederat,  
Sed pinguem ecclesiam alius promiserat;  
Iure meum igitur iecur dolor vulnerat.

Vide, qualis tibia, quam decenter grossa,  
Heu, iam claudit lumina in mortem defossa,  
Moritur, sed tumuli claudetur in fossa,  
Decet eius molliter ut quiescant ossa.

Sic ait et faciem lacrimis irrorat,  
Et qui nisum sepelit et pro niso plorat,  
Nunquam vel rarissime pro defunctis orat,  
Quorum elemosinas omni die vorat.

Sic deducunt tempora, sic ludunt in avibus,  
Patrum elemosinas largiuntur canibus,  
Christi patrimonia pereunt in talibus,  
Si fas esset dicere, vel in turpioribus.

Sed tacere melius illa, quae teguntur;  
Deploremus interim, quae palam aguntur,  
Tandem suo tempore manifestabuntur,  
Nulla dum latibula miseris dabuntur.

Hodie si viveret, fleret Ysaïas,  
Quid lamentabilius planxit Ieremias?  
Prophetarum lacrimas, omnes prophetias  
Nos et nostra tempora deflevisse scias.

Quod Iudam et Israel vocant meretricem  
Et lascivam vitulam iugi contemptricem,  
Nimirum ad gentem hanc spectat peccatricem,  
Quae contempnit monitus et poenam ultricem.

Quod clamat Ezechiel ad speculatores,  
Hoc ad nostri temporis respicit pastores,  
Qui tunc student fieri morum correctores,  
Dum implere cupiunt bursas ampliores.

Cum ad villas synodum pergunt celebrare,  
Tunc servorum cerneret turbam advolare,  
Infarcire manicas, equos phalerare,  
Falcones, accipitres, nisos aggregare.

Cursitat praenuncia turba garcionum,  
Sequuntur cum canibus magistri falconum,  
Sanclitatis omnes hi praecedunt patronum,  
Per quos bene promovet synodale bonum.



Aliquis, qui videt hos, stat et admiratur,  
Principis familiam esse suspicatur,  
Stupet multitudinem et non opinatur,  
Quod talis exercitus clericum sequatur.

Grex ecclesiasticus patrum prisci temporis  
Praecavebant facinus et causam facinoris,  
Et ne virtus perderet statum sui roboris,  
Refrenabant vitia mentis atque corporis.

Hi nec sua vitia frenant nec suorum,  
Reus si iudicio sistitur eorum,  
Loculos aperiat, massam det nummorum,  
Statim liberabitur a coetu reorum.

Stare pro iustitia dum iustus audebit,  
Nitidi si species nummi refulgebit,  
Perdet causam iustior, ille praevalebit,  
Iudicis muneribus qui manum implebit.

Manum qui muneribus undecunq̄ue datis  
Implere desiderat, cui nihil est satis,  
Crimen avaritiae seu rapacitatis  
Incidet vel vitium prodigalitat̄is.

Avarum et prodigum, qui cuncta pessumdat,  
Variis Leviathan vinculis circumdat,  
Semper rapit iste, quod turpiter abscondat,  
Hic non cessat rapere, male quod effundat.

Vana prodigalitas, rapax avaritia,  
Quaedam duo monstra sunt valde dissimilia,  
Quamvis trahant clericos in mala disparia,  
Pari tamen rapere cogunt hos insania.

Avidi diripiunt res ecclesiarum,  
Rapit ille reditus decem praebendarum,  
Decem hic ecclesias, sed adhuc est parum,  
Nunquam enim copia satiat avarum.

Horum quidam satagit multa congregare,  
Congregat, ut protinus possit dissipare,  
Multa nebulonibus solet erogare,  
Christi sed pauperibus nihil novit dare.

Pallium vel tunicam dat adulatori,  
Cuius adhuc pretium debet creditori,  
Pauperes, quos coram se videt gelu mori,  
Fugat, nec compatitur flentium dolori.

Tota strepit curia lusibus obscenis  
Et minorum turpibus gaudet cantilenis,  
His servitur ferculis et scutellis plenis,  
Nihil foris flentibus mittitur egenis.

Adspice nunc homines elegantis moris!  
Nauseant, qui mollibus recubant in toris,  
Nemo tamen miseret miserorum foris,  
Quos fames eviscerat, necat vis alioris.

Illis non sufficiunt vina quinque generum,  
Nesciunt multotiens ferculorum numerum,  
Satagunt pinguedinem sic implere viscerum,  
Quod vix molem sustinent ambae crates laterum.

Praeter hanc, quam defleo, superfluitatem,  
Quam appellant stolidi liberalitatem,  
Quae sequantur opera tantam vanitatem,  
Me, qui cuncta referat, non habebit vatem.

Multa namque subeunt digna reprehendi,  
Superat materia copiam dicendi,  
Magis, quam credideram, opus hoc extendi,  
Non plus quam ad cubitum debet arcus tendi.

Nervum arcus igitur paululum remittam,  
Adhuc habet pharetra plurimam sagittam,  
Et nisi centesimam quamvis non emittam,  
Magnum in periculum me meosque mittam.

Sed non est quod timeam, nec possum tacere,  
Ubi nullus timor est, vanum est timere,  
Nec vetare poterit quisquam me dolere,  
Nimium est timidus, qui non audet flere.

Si timoris quicquam est, claudam hic in cista,  
Mihi soli scripserim, solus legam ista,  
Sibi soli saepius canit cytharista,  
Et solus psalterium ruminat psalmista.

Ego flendo doleo, quod rex Babyloniae  
Sedechiam oculis spoliavit hodie,  
Quem dabis ex omnibus praelatis ecclesiae,  
Quem non obcaecaverit ille rex superbiae.

Nabuzardan militum princeps et coquorum  
Diruit Ierusalem et arces murorum,  
Nimia perversitus pravorum rectorum  
Destruit ecclesiam igne vitiorum.

Aureos insania regum antiquorum  
Adorabat vitulos, quis est modernorum,  
Qui per avaritiam cultum idolorum  
Non inclinet vitiis honestatem morum.

Honestas est hodie clericalis viri  
Auro textis vestibus corpus redimiri,  
Tali limbo pallium vel cappam ambiri,  
Unde possent quindecim pauperes vestiri.

Clericus honestus est dignus magnis laudibus,  
Cuius mensa largis est onerata dapibus,  
Cuius porta semper est patens venientibus,  
Et, si forte clauditur, clauditur pauperibus.

Ante cuius ianuam vidisti morari  
Aut mimum, aut aliquem, qui sciret iocari,  
Pulchrum et honestum est in his iucundari,  
Et egenos interim foris cruciari.

Invidus es, dominis gaudes derogare,  
Nemo potest pauperes omnes sustentare. —  
Quare solent igitur mimis tanta dare,  
Et quadrante pauperem nolunt adiuvare?

Immo iuvant! Tribuunt quandoque quadrantes,  
Dant mensae reliquias superabundantes,  
Natulis operiunt Scotos aegrotantes;  
Quare pia laceras viscera gestantes?

Bene tuis naribus, vir comis et bone,  
Protector egentium, pauperum patrone,  
Apte sua cuique scis reddere personae,  
Apte cuncta ponderas iusta ratione.

Moribus conveniens extat viri boni  
Clericique congruens est religioni  
Aegrotanti mittere natulam Scotoni,  
Et saltanti pallium dare nebuloni.

Deo quidem, fateor, aliquid dedisti,  
Sed, ut docet littera, male divisisti,  
Vario dum pallio Satan induisti,  
Christum tegens natula nudum reliquisti.

Novi quendam praesulem, deum qui timebat,  
Bonum et munificum, ut fama ferebat,  
Hic quadrantes aliquos in bursa gerebat,  
Quos ipse pauperibus dabat vel mittebat.

Vir discretæ mentis hic iuste rem librabat,  
Bonus ut œconomus recte dispensabat,  
Mimos equis, vestibus et nummis ditabat,  
Quadrantem vel obolum tribus claudis dabat.

Quo, vesane, navigas? Nimis tendis velum,  
Iam tangis episcopos, os ponis in coelum,  
Tuum in te forsitan revertetur telum,  
Dele hoc, vel potius signa per obelum!

Meus hoc consilio rithmulus non eget,  
Et tam incompositum carmen nemo leget,  
Iter meum dominus et regit et reget,  
Nam me verum dicere nullus est qui neget.

Vera tamen omnia non sunt referenda.  
Ita est. Et omnia non sunt reticenda.  
Ego nulli detraho, defleo deflenda,  
Infirmis infirmitas est aperienda.

Infirmum si videas morti propinquare,  
Videas periculum et possis iuvare:  
Si non iuvas, reus es, non potes negare,  
Impium est, morbidis morbum non monstrare.

Nimis diu blateras, appropinqua metae,  
Quamvis tu furentibus dicas: Hic timete,  
Hic est praecipitium, hic fossa, cavete!  
Tuos spernent monitus nec curabunt de te.

Quidquid dicas, debeo culpam formidare,  
Nam scriptura timidus solet increpare,  
Dicens canes muti sunt, non audent latrare,  
Nolunt sua propria secula monstrare.

Ergo rursus repeto lacrimas et planctum,  
Doleo, dum video Syon, montem sanctum,  
Plenum immunditiis, quod gens Garamantum  
Ibi regnat, metuit culpa gubernantum.

Verum et dolendum est etiam ad litteram,  
Quod mons Syon patitur in se gentem efferam,  
Sic et hic ecclesia, clamans sese miseram,  
Plorat, quia plurima videt agi perperam.

Plorat hos praecipue, quos magis amavit,  
Quos gregis dominici duces ordinavit,  
Et quos super alios magis exaltavit,  
Hos pugnare contra se diu deploravit.



Nam cervicem tumidam quis magis erexit,  
Quis mandata Domini saepius neglexit,  
Quam is, quem sublimitas altius evexit?  
Magis est contrarius, quem magis dilexit.

Videsne cum senibus iuvenes studere,  
Quali modo valeant multa possidere,  
Nullum modo studium dulcius est aere,  
Aere dulcis labor est loculos implere.

Properes ulterius, non hic pedem sistas,  
Sed magistros aspice, respice legistas,  
Divinos doctiloquos atque decretistas,  
Hi non curant loculos implere, sed cistas.

Hi sequuntur praesules, duces, patriarchas,  
Quorum dona sentiunt et manus non parcas,  
Isti saepe reserant non egenis arcas,  
Sed ut linguae pretium marcis addant marcas.

Isti pro divitibus loqui sunt parati,  
Quatuor pro divite surgunt advocati,  
Qui donat ecclesias, huic adstant abbati,  
Huius causam agere non est insensati.

Pauperem pauperies, non crimen, infamat,  
Solutus pro se loquitur, solus pro se clamat;  
Quare pro divitibus quilibet declamat?  
Fructuosam arborem quivis prudens amat.

Defensare pauperem nullus est qui vacet,  
Pauper inutiliter loquitur aut tacet;  
Pauper cur despicitur? cur ubique iacet?  
Infecundi cespitis ager nulli placet.

Scit quare causidicus divitem defendat;  
Cur eum tantopere iuvat et commendat?  
Scit venator reliqua cervis ubi tendat,  
Scit auceps quo frutice plures aves prendat.

Omnes et ecclesias et praebendas prendunt,  
Hi palam, nec pudor est, emunt, illi vendunt,  
Munera, blanditias vel minas protendunt,  
Vultures non aliter ad cadaver tendunt.

Dum sciunt ecclesiam aliquam vacare,  
Illumve, qui praefuit, lectulo cubare,  
Tunc certatim videas omnes festinare,  
Extremum ne scabies possit occupare.

Ille vero, cuius est de his ordinare,  
Ad quem spectat populo sacerdotem dare,  
Accipit inducias, iubet exspectare,  
Cui committat animas, vult deliberare.

Tunc suos alloquitur, sedens in conclavi:  
Quid nunc magis eligam, diu cogitavi,  
Adhuc, quem exaudiam, non deliberavi,  
Vos date consilium, quos ad hoc vocavi.

At consilarii postquam audiere,  
Temporis idonei causam imminere,  
Ut suas et domini possint res augere,  
Laici sic laicum sunt orsi docere:

Nos nescimus litteras, et vos ignoratis,  
Sed si a prudentibus et a litteratis  
Clericis et monachis exempla quaeratis,  
Quis ecclesiasticum donum donat gratis?

Quidam stulti praedicant, non debere vendi,  
Illis enim non est spes haec adipiscendi,  
Quod agunt hi, penes quos est norma regendi,  
Nullus idem faciens debet reprehendi.

Nulli sine pretio dantur dignitates,  
Omnes lucrum allicit reges et primates,  
Hoc agunt praepositi, praesules, abbates,  
Nos sequi timebimus tot nautarum rates?

Securi, quod clerici faciunt, agamus,  
Nostris a maioribus exempla sumamus,  
Tritam cunctis orbitam nos quoque teramus,  
Stultum est reiicere piscem, quem dat hamus.

Magistrorum omnium respice conventum,  
Vix vel non invenies unum inter centum,  
Quem sola canonica videas contentum,  
Sed nobis est regula vita sapientum.

Hi libros inspiciunt, nos actus eorum,  
Ipsi nostri libri sunt, lux et via morum,  
Et quidquid auctoritas roborat doctorum,  
Hoc non solum bonum est, verum et decorum.

Unus tot ecclesiis solus non praeesset,  
Si praeesse pluribus licitum non esset,  
Per magistros etiam malum hoc quiesset  
Si quod id agentibus vitium inesset.

Istis verbis dominus facile seductus  
Ad id est, quod tamen vult, leviter inductus,  
Exemplis propositis sapientum ductus,  
Cedet et respondet his, prout et instructus.

Ego, inquit, saepius inde cogitavi,  
Talia qui agerent, impios putavi,  
Huius maris rabiem saepius expavi,  
Sed iam nunc securius dabo vela navi.

Volo, sicut iustum est, illos imitari,  
Scripturarum qui non sunt nec iuris ignari,  
Per quos mores omnium debent informari,  
Doctos viros imitans non debet culpari.

Dixit, et qui potuit plura numerare  
Populo praeficitur, qui nihil vult dare,  
Illi nullus animas audet commendare,  
Qui dat, est idoneus et famae praeclearae.

Christiani populi respice pastores,  
Aut minis, aut pretio facti sunt rectores,  
Vel propinqui genere, vel nobiliores;  
Quem promovit sanctitas, aut honesti mores?

Promovendi quoddam est genus in praelatis,  
Quod surgit a mutuae bono pietatis,  
Relative siquidem causa caritatis  
Praelatus ecclesiam dat praelato gratis.

Gratis quidem dat, sed hoc non debes mirari,  
Nam ab illo, cui dat, vice quoque pari  
Meliozem aliquam sperat sibi dari;  
Hac spe solent semina terrae commendari.

Est adhuc et alius modus promovendi,  
Frequens nec inutilis gradus ascendendi,  
Si praelati fuerit tempus eligendi,  
Tunc apparet sanctitas zeli reverendi.

Nam qui plus desiderat fratribus prodesse,  
Ille modis omnibus satagit praeesse,  
Mox suo consilio praecipit adesse,  
Quos magis idoneos sibi novit esse.

Fratres, inquit, cernitis quod noster praelatus,  
Deus sic disposuit, nobis est ablatas,  
Diu si vacaverit sedes prioratus,  
Peiorari poterit nostri loci status.

Multi summo studio quaerunt hunc honorem,  
Sed deus provideat nobis meliorem,  
Qui et cum modestia teneat rigorem  
Et lapsa restituat statum in priorem.

Nec honorem pulchrum est nec lucrum ambire,  
Tamen si concordia fratrum dissentire  
Nollet, non abnuerem onus hoc subire,  
Magnam parit gloriam lapsis subvenire.

Labi cuncta doleo et in peius ire,  
Et ego desidero scissa resarcire,  
Sed discordes qualiter nobis consentire  
Valeant, a vobis hoc volumus audire.

Unus assistentium, vir discretæ mentis,  
Qui loquentem noverat et mentem loquentis,  
Inquit, tibi non est cor viri sapientis,  
Quali modo superes istos, si non sentis.

Tot habes ecclesias, tot habes præbendas,  
Et quod te nunc impedit, statim non emendas?  
Dare si didiceris, si manum extendas,  
Qui te modo deprimunt, cogent ut ascendas.

Utli consilio sapiens vir credit,  
Illi dat ecclesiam, qui libens obedit,  
Decaniam alteri, mox et ille cedit,  
Hic fit cellerarius, et statim pax redit.

Promovendi modus hic merito laudatur,  
Nam unde sublimius unus elevatur,  
Inde multus aditus ascendendi datur,  
Quidquid multis proficit, iure commendatur.

Hic multas ecclesias multis annis rexit,  
Praefuit sollicite, docuit, correxit,  
Et hac diligentia subditos provexit,  
Quod in nullo annuos redditus neglexit.

Consueverunt alii cuncta dissipare,  
Iste novit omnia caute congregare,  
Tali temperantia novit sua dare,  
Ut tamen in omnibus possit abundare.

Iste cum iam incipit fini propinquare,  
Cum iam plus pro subditis nequit laborare,  
Tamquam pastor providus studet ordinare,  
Quis post eum valeat plebem gubernare.



Doctus exercitio vitae longioris  
Videt et considerat, post mortem pastoris  
Quod non vitat populus semitas erroris,  
Si doctrina careat providi rectoris.

Vidit saepe, quotiens contigit vacare  
Pastorale regimen, solent litigare,  
Quis de iure debeat fundi donum dare,  
Quis electo iustius conferat altare.

Prudens vir intelligit, dum sic litigatur,  
Dum per controversium diu decertatur,  
Laeditur ecclesia, census minoratur,  
Et, quod plus dolendum est, plebs periclitatur.

Haec movent pericula virum sanae mentis,  
Unde casus metuens temporis praesentis  
In futurum praecavet damna suae gentis,  
Ne pastoris commoda lugeat absentis.

Ergo sibi sentiens finem imminere,  
Vult, sicut vir providus, suis providere  
Et, quos magis diligit, magis promovere,  
Novit homo sapiens damna praecavere.

Mox amicos ante se praecipit vocari,  
Natos cum nepotibus iubet adunari,  
Illi prono capite stant adhuc ignari,  
Quis ad quam ecclesiam debeat vocari.

Tunc suspirans incipit: Quas me possidere  
Contigit ecclesias, cogor nunc carere,  
Has quia diutius non possum tenere,  
Malo, quam extraneos, illas vos habere.

Tamen hoc firmabitur tali pactione,  
Ut, inter vos habita distributione,  
Ego quoque gaudeam iusta portione,  
Quoad vivam, volo, sim in possessione.

Dixit, et ecclesiis illi sibi datis  
Lacrimantes approbant opus pietatis,  
Et hunc, quem dilexerant spe prosperitatis,  
Timent iam, ne nimiae sit vivacitatis.

Nam dum cuique dictum est quod sit habiturus,  
Sed vivente domino nihil percepturus,  
Expectantem afficit tam diu victurus,  
Et spes longa cruciat et census futurus.

Gaudeat nunc bonus vir bene laborasse,  
Noverit ecclesias illis se donasse,  
Qui vellent ad superos eum iam migrasse  
Et iam suam animam deo commendasse.

Iste vir laudandus est, qui, quos bene novit,  
Et quos ab infantia nutriit et fovit,  
Ad regendas animas utiles promovit,  
Litem ab ecclesiis et damna removit.

Nonne commendandus est, qui suis cognatis  
Providere satagit etiam vix natis,  
Ut, cum nullas habeant res hereditatis,  
Tamen non sustineant onus paupertatis.

Vide nunc, quo prodeat sanctitas istorum,  
Ad quae bona provocet corda laicorum,  
Sic illustrat laicos virtus clericorum,  
Ut exemplis instrui gaudeant ipsorum.

Quid enim utilius, quam amicis dare,  
Et tamen, quod dederis, tibi reservare?  
Viri sapientis est proximos ditare  
Et eorum opibus suas cumulare.

Laicus ecclesias iure patronatus  
Sic dat, ut has habeat vel nepos, vel natus,  
Et hunc iam caractere signat clericatus,  
A nutricis ubere qui vix est sublatus.

Tale quid de filio nunquam praesumpsisset,  
Si non haec a clericis forma praecessisset,  
Et committi parvulo plebem non vidisset,  
Magnum et horribile monstrum credidisset.

Sed quod a prudentibus solet actitari,  
Quis non confidenter hoc velit imitari?  
Ubi videt omnium retia laxari,  
Ibi quoque credit se licite piscari.

Quam prudenter retia laxant in capturam,  
Qui committunt proximis pastorem curam,  
Ut nec hi defectuum timeant pressuram,  
Nec ipsi redituum sentiant iacturam.

Adhuc sapientius alter promovetur,  
Aliis ecclesias, quas dare tenetur,  
Sibi donat et per hoc decet ut laudetur,  
Hoc facto, me iudice, laudari meretur.

Dicam, quare nullus est vocandus ignotus:  
Isti vero nemo est plus se ipso notus,  
Et qui sic per propriam manum est promotus,  
Ab omni litigio procul est remotus.

Sibimet qui potuit fundi donum dare  
Et pastorem studuit se ipsum creare,  
Illum non oportuit litem formidare,  
Rixam novit sapiens damnumque vitare.

Qui semet instituit prudens ut patronus  
Fecit, et sic facere debet pastor bonus,  
Commendare debet hunc bonae famaе sonus,  
Humeris qui propriis bene portat onus.

Bone pastor, patulis auribus audisti  
Patres prisci temporis et doctrinam Christi,  
Alii committere gregem noluisti,  
Quid sit lana, quid sit lac, scire voluisti.

Quamvis magnus labor sit plebem gubernari,  
Tibi soli tamen hanc mavis commendari,  
Mavis fructus annuos a te congregari,  
Quam ullum extraneum inde fatigari.

Olim signum fuerat hominis avari,  
Plures ad ecclesias quenquam titulari,  
Modo multi satagunt sanctos imitari,  
Per quos duas contigit plebes gubernari.

Binis episcopiis praefuit Maternus,  
Sed nunc magis incitat hos amor supernus,  
Maior pro ecclesiis zelus est modernus,  
Quia nulli sufficit numerus quaternus.

Tam prudentes et tam sunt animi fidentis,  
Non timent iudicium cuncta requirentis,  
Respondere prompti sunt ita de quingentis,  
Veluti de quatuor vel quinque talentis.

Magna confidentia hominum istorum!  
Sic confidunt viribus actuum suorum,  
Nullum volunt sumere socium laborum,  
Hoc perire metuunt, quod non est eorum.

Ideo, ne percant, certant custodire,  
Septem ille vicibus mavult Romam ire,  
Mavult inde pallidus tremensque redire,  
Quam permittat alium onus hoc subire.

Quis enim prudentius poterit servare  
Unam, quam qui quatuor novit procurare,  
Nonam huic ecclesiam debes commendare,  
Qui prudenter sciverat octo gubernare.

Omnes, inquit, perdere mallet meos reditus,  
Quam ille praevaleat; mihi donum primitus  
Contulit, qui debuit et dedit antiquitus,  
Non sic vis emarcuit corruique penitus.

Sic mavult consumere res ecclesiarum  
Omnium, quas possidet, quam perdat hoc parum,  
Parum dico quindecim vel decem marcarum,  
Quodvis magnum modicum est apud avarum.

Virum probum, stabilem pudet superari,  
Mavult damnis plurimis populum gravari,  
Multa per discordiam mala generari,  
Quam sinat sententiam nisi pro se dari.

Dicit hoc honestius, dicit hoc decere,  
Divinis officiis populum carere,  
Extra cymiterium mortuos iacere,  
Multa mala fieri, quam non praevalere.

O zelum iustitiae, dignum magno munere!  
Quantum putas virum hunc populum diligere,  
Qui proponit potius, quidquid habet, perdere,  
Quam, pro quibus litigat, animas non regere?

Si de litigantibus alter superatur,  
In victoris odium victus excitatur,  
Non quod ei dignitas lucrumve tollatur,  
Sed quod salvam facere plebem non sinatur.

Temporalis commodo non flet seprivari,  
Sed coelesti praemio dolet spoliari,  
Quod laboris merito posset sibi dari,  
Deo tantum animas voluit lucrari.

Aemulum iam persequi cesset et odire,  
Sub se res et populus poterant perire,  
Licet iste nesciat plebem erudire,  
Cautè tamen poterit fructus custodire.

Magna cunctos caritas hodie accendit,  
Oves Christi regere quilibet intendit,  
Hic, ne perdat regimen, omnia expendit,  
Et ne possit perdere, perdere contendit.



Perdidit, quod primitus dedit fundatori,  
Quod consiliariis, quod prolocutori,  
Tamen sic est omnium deditus amori,  
Quam oves relinquere magis cupit mori.

Mavult adhuc septies ad papam recurrere,  
Mavult et de vertice montis Iovis ruere  
Et in praecipitio crus vel pedem frangere,  
Quam tutelam ovium alteri demittere.

Multa dedit, cupiens ovibus praeesse,  
Alter plura, quia plus isto vult prodesse,  
Nam se nisi crederet meliorem esse,  
Cur non oves sineret alteri subesse?

Melius est Alpium nives transmeare,  
Iterum et iterum Romam repedare,  
Et tandem lombardicam febrem reportare,  
Quam permittat alium fructus congregare.

Quid dicis de fructibus? Non est inde cura;  
Terrenorum fructuum minima iactura,  
Multa gaudent corpore sustinere dura,  
Animas ut gaudia ducant ad futura.

Malum avaritiae non eos irritat,  
Sed profectus ovium et salus invitat,  
Quem deus constantia spiritali ditat,  
Pro salute populi nulla mala vitat.

Quidquid dicas etiam, propter hoc multorum  
Praefici desiderant curae populorum,  
Ut, si quid defuerit doctrinae verborum,  
Saltem non depereant fructus horreorum.

Bonum est sollicite plebem erudire,  
Et cum plebe bonum est fruges custodire,  
Propter solas animas Romam quater ire  
Qui contendat, facile non est invenire.

Tales viros aestimo multis probiores,  
Pati qui non renuunt asperos labores,  
Pura conscientia quaeritant honores,  
Qui sese prae omnibus norunt doctiores.

Artem, quam non didicit, nemo profitetur  
Medicinae nescius nemini medetur,  
Animarum cuilibet regimen donetur,  
Statim novit, anima quo morbo gravetur.

Miror, unde didicit tam cito sanare,  
Diu solet medicus libris insudare,  
Ut secure valeat medicinam dare,  
Animarum medicus statim scit curare.

Portus qui non didicit et ventos notare,  
Nec unam naviculam audet gubernare;  
Raro vides clericum ita trepidare,  
Mavult sex ecclesias quam tres procurare.

Scandere desiderans ad episcopatum  
Utique desiderat opus deo gratum,  
Verbum istud omnium curam dignitatum  
Transtulit ad homines omnium aetatum.

Et iam non est utiles quaerere necesse,  
Cum cernamus parvulos pueros praesesse,  
Senex quoque tremulus, qui nulli prodesse  
Potest, ipse rector vult animarum esse.

Iuventute fervidus, potens laborare,  
Litem annis quatuor studet protelare,  
Ut saltem sic aemulum possit expugnare,  
Qui contendit etiam animas curare.

Omnes, omnes appetunt curam animarum,  
Quasi dicant singuli, nullus ad earum  
Tantum valet regimen, quantum ego, clarum  
In me iubar luminis est, in istis parum.

Ego sum, qui potero lumine scientiae  
Illustrare tenebras horum ignorantiae,  
Tam sum doctus, providus, et tantae peritiae,  
Huius sum dignissimus signifer militiae.

Malo mala praemia rectori servantur,  
Optime regentibus optima donantur,  
Iusto de regimine iusti gloriantur,  
Et qui male rexerunt, male munerantur.

Debitor est quilibet subditos docere,  
Verbis, factis, moribus exempla praebere,  
Pro suorum actibus deo respondere,  
Incorrigibilium pro delictis flere.

Haec solent et talia, credo, cogitare,  
Quos videmus animas velle gubernare;  
Nam si non praetenderent tantum, suos quare  
Tanto vellent humeros pondere gravare?

Hominis si videas humeros gravari  
Nimis magno pondere, qui nolit iuvari,  
Rumpi malit onere, quam alleviari:  
Mentis sanae debet hic homo iudicari?

Si dicat: Hoc nequeo pondus sustinere,  
Sarcinam intelligo gravem praevalere,  
Casurum me sentio, sed nolo cavere,  
Malo subtus turpiter in luto iacere,

Quam onus ab humeris meis amovere:  
Tu, si quemquam videas talia vovere,  
Mentem sanam dicas hunc hominem habere?  
Hanc qui sanum dixerit, tu non sanum rere!

Credo satis potens est haec similitudo,  
Regendarum ovium nulla multitudo  
Absterrere potest hos, de quibus haec cudo,  
Fortes sunt, et fortia docet fortitudo.

Tanta fortitudine pollent roborati,  
Sustinere quodlibet pondus sunt parati,  
Quivis dicit, onus hoc bene possum pati,  
Doleo, quod pauci sunt mihi commendati.

Parum valens praefici debet paucitati,  
Praesint hi, qui probisunt, numerositati,  
Opprimi qui metuunt sarcina peccati,  
Semper paupertatis sunt onere gravati.

Ergo quia malum est onus paupertatis,  
Cautum est ab omnibus totius aetatis,  
Cavet indulgentia sanctae novitatis,  
Una quod ecclesia non sit uni satis.

Novae leges, canones iam novi procedunt,  
Qui nobis ecclesias plurimas concedunt,  
Quaedam inutilia decreta recedunt,  
Quae tantum ecclesiam unam uni credunt.

Tempora felicia iam adventaverunt,  
Nunc doctores optimas leges didicerunt,  
Certum in ecclesiis numerum non quaerunt,  
Quotquot potes habeas, hoc instituerunt.

Memet ipsum, dicens hoc, crederem errare,  
Ni vidissem saepius decretistam stare,  
Et quintam ecclesiam illi conservare,  
Quem sciebat quatuor male procurare.

Debeone credere virum eruditum,  
Sanctis in eloquiis doctum et peritum,  
Esse sic insipidum, sic dei oblitum,  
Ut loquatur, quod non sit a sanctis sancitum?

Nil, quod sit contrarium sacris documentis,  
Agere crediderim virum sanae mentis:  
Ergo nulli generat poenam in tormentis,  
Quod habet auxilio viri sapientis.

Si multas ecclesias malum est habere,  
Nullo modo sapiens vellet hoc suadere,  
Nec suadet tantummodo, sed facit habere,  
Suam dum sententiam cogit praevalere.

Et non solum alios sapiens defendit,  
Quaerendis ecclesiis etiam intendit,  
Quatuor cum habeat, pro quinta contendit,  
Fieri quid debeat, per semet ostendit.

Igitur secundum hos, quos scimus pollere  
Tanta sapientia, possumus habere  
Plurimas ecclesias, nec culpam timere,  
Hoc ubique faciunt, hoc solent docere.

Multas iam ecclesias omnes habeamus,  
Nullam inde contrahi culpam timeamus,  
Per nostros vicarios animas regamus,  
Nos ipsi colligere fruges studeamus.

Animas vicarii studeant salvare,  
Nos ipsi studebimus census congregare,  
Non oportet aliquem culpam formidare,  
Decretista quilibet scit determinare.

Tam prudenter aperit dicta scripturarum,  
Quamvis pastor plurium sis ecclesiarum  
Et multarum colligas fructus praebendarum,  
Ut securus habeas redditus earum.

Os tuum malitia plenum est et fraudibus,  
Nobiles dilaceras venenosis dentibus,  
Vis, ut sit, qui natus est de nobilioribus,  
Unius praebendulae contentus redditibus!

Multos debet nobilis ad mensam vocare,  
Largos venientibus sumtus praeparare,  
Proprium est nobilis nemini negare;  
Hoc una praebendula nequit totum dare.



Qui linguam in nobiles habes tam intensam,  
Horum tibi merito generas offensam;  
Modicam nobilitas non quaerit expensam,  
Vis ut solus sedeat nobilis ad mensam?

Solvere propositam volens quaestionem,  
Credo, nihil proferam contra rationem,  
Nec sic recti datus sum in oblivionem,  
Pauperis ut nobili dem conditionem.

Res suorum nobilis habeat avorum,  
Praedia possideat patrum antiquorum,  
Avitorum colligat fructus praediorum,  
Dives sit redditibus patrimoniorum.

Et cum nomen pauperis pudet hunc habere,  
Non eum res pauperum decet possidere;  
Quare vult in numero pauperum sedere,  
Cum nolit et fugiat pauper apparere?

Pauperum sunt utique res ecclesiarum,  
Datae sunt, ut diluant culpas animarum,  
Decetne, cui genus est proavorum clarum,  
Pauperum sit particeps elemosinarum?

Praedia cum habeas ex hereditate,  
Agros cum possideas tam longe, tam late,  
Nimium degeneras a nobilitate,  
Quae debentur pauperi dum tolluntur a te.

Si ribaldum videas saturum portare  
Plenam pane manticam et adhuc rogare,  
Alium, qui esurit, pane spoliare:  
Nonne tuos servos hunc iubes fustigare?

Quisquis et ecclesiis et agris ditatur,  
Et quaerendis inhiat et non saturatur,  
Cuius gerit speciem? cui simulatur?  
Illi, qui famelicum spoliavit satur!

Cuius vides manticam frustulis tumere,  
Dignus erat fustium ictus sustinere;  
Hic, qui domos, horrea non cessat implere,  
Nullam inde meruit poenam sustinere?

Sustinebit utique; nolet congregasse,  
Nolet suo pauperes victu spoliasse;  
Ipsam ni nobilitas et nummi fortasse  
Liberare valeant et argenti massae.

Sed, ut volunt aliqui, paululum cedamus  
Generi nobilium et condescendamus,  
Agros et ecclesias eis concedamus,  
Debitam familiam non interdicamus.

Hoc exemplo ceteri donant vela ventis,  
Et non solum consequi terga praecedentis  
Volunt, sed praecedere cursibus non lentis  
Et dorsum ostendere vultui sequentis.

In quo sunt nobilibus dispares ornatu?  
Sed et hi lasciviunt quovis apparatu,  
Ludunt nihilominus avium volatu  
Gaudent non in praeda plus quam canum latratu.

Isti quoque variis fulgent in mantellis,  
Late limbus rutilat rubricatae pellis,  
Et gemmatis digiti radiant anellis,  
Deauratis etiam resident in sellis.

Non maiori numero gaudent famulorum  
Illi, qui de genere sunt nobiliorum,  
Christi patrimonium, pro dolor! istorum  
Ita servit lusibus sicut et illorum.

Quidquid in ecclesia fit perversitatis,  
Evidens indicium habet a praelatis,  
Gloriae per vitium et cupiditatis,  
Unde in contrarium opus pietatis.

Pium opus aestimo bonumque sincere,  
Pro salute populi regimen habere,  
Temporalis commodi nihil admiscere,  
Non sibi, non aliis, sed deo placere.

Vide nunc, si tale est votum praelatorum,  
Qui committunt animas curae puerorum,  
Etiam aspicias mentem aliorum,  
Utrum sic officium habeant pastorum.

Nequeunt pueruli plebem erudire,  
Alii vel nesciunt vel non curant scire,  
Et sic cogunt plurimos in gehennam ire,  
Pereunt et ceteros faciunt perire.

Si per mercenarios plebs non deleretur,  
Sed rectore proprio quaevis regeretur  
Et praecepta domini saepe doceretur,  
Non sic in itinere morum erraretur.

Si nomen vicarii prorsus deleteretur,  
Si regenda nemini plebs committeretur,  
Nisi qui regimini aptus videretur,  
Vinea mox domini fructu repleretur.

Talibus ecclesiae modo commendantur,  
Qui non sunt idonei nec esse conantur,  
Hinc est, quod tot scandala mundo generantur,  
Hinc habent initium, hinc multiplicantur.

Hinc et lamentatio mea declamare  
Gestiit nec potuit rem elucidare,  
Flevi sicut parvulus, quem dolor plorare  
Cogit, et non valet hunc verbis explicare.

Quoque modo malui lingua balbutire,  
Quam, quod intumuerat, ulcus operire,  
Mutus facit alios signis illud scire,  
Linguae quod officio nequit aperire.

Ergo defluentium lacrimarum rivis  
Et plangendo manibus signum do, quod quivis  
Clericus et monachus et miles et civis  
Ad id, quod non expedit, est nimis proclivis.

Huius mali mater est culpa praelatorum  
Primamque materiam concipit malorum  
Post haec quod incuria parturit pastorum  
Hoc effrenis pravitas nutrit subditorum.

Quantam in amentiam multi devenerunt,  
Quae sibi nociva sunt et esse noverunt,  
Certumque periculum animarum ferunt,  
Tanquam salutifera litigando quaerunt.

Quaerunt unde pereant certantque perire  
Et festinant alterum alter praevenire,  
Qui sciunt periculum nec possunt nescire,  
Hos viventes dixerim in infernum ire.

Eheu miserabilem et deffendam sortem  
Et vere coelestium munerum exsortem!  
Suam qui debuerat ducere cohortem,  
Dux ad vitam eius est signifer ad mortem.

Suum in interitum student properare,  
Et non est, qui audeat illos revocare,  
Incantator sapiens, si vult incantare,  
Aurem aspis callida novit obdurare.

Multos subdit hodie Nemroth servituti,  
Pauci putant vivere nisi sub hoc tuti,  
Et ne possit cedere vitium virtuti,  
Coctiles aedificant muros ope luti.

Loth cum suis omnibus vinctus captivatur,  
Et ditatus opibus hostis gloriatur,  
Sed quare sub hostibus adhuc catenatur?  
Quia nullus Abraham pro his proeliatur.

Adhuc servus Israel est sub Pharaone  
Et gemenda premitur sub conditione,  
Quia, qui repertus est in papirione,  
Fugit et in externa latet regione.

Non transit ad patriam Israelitanus,  
Viam enim obsidet Amelechitanus,  
Israelem superat populus profanus,  
Quia nullus Moyses modo lavat manus.

Iram nemo mitigat, non quassationem,  
Deus non inducitur ad placationem,  
Nullus enim Phinees tenet pugionem,  
Ut de scorto madian sumat ultionem.

Nunc festinat Balaan contra deum ire,  
Non occurrit angelus illum impedire,  
Asina, quam fustibus non cessat ferire,  
Olim dixit aliquid, nunc timet mutire.

Maledictam Iosue volens extirpari  
Gentem vetat Iericho reaedificari,  
Hanc a multis hodie plango renovari,  
Qui non timent gemina prole spoliari.

Urbem Hay populus capere paratus  
Fugit et devictus est et cadit prostratus,  
Auream nam regulam vestemque furatus  
Achar adhuc latitat nondum lapidatus.

Israel allofilis servit, velit nolit,  
Victus deos iterum alienos colit,  
Dolum enim Dalila blandis verbis polit,  
Et defensor populi visu carens molit.

Dominum multotiens illa gens offendit,  
Tamen semper aliquis fuit, qui ostendit,  
Redeundi tramitem quis modo defendit?  
Proximorum luera nunc quis suis protendit?



Defensores aliquos olim habuerunt,  
Qui suam ab hostibus gentem eruerunt,  
Non, ut hostes vincerent, sibi pepercerunt,  
Modo sua commoda, non suorum quaerunt.

Quantumcunque saeviat hostis et intendat  
Arcum, tela iaciat, fuget, comprehendat,  
Et conculcet pedibus, non est, qui defendat  
Et in bello domini dexteram extendat.

Sacerdotes Baalim non est qui occidat,  
Nunc prophetas domini Iezabel trucidat,  
Et Elyas etiam fugiens formidat,  
Dum regina saeviens omnia morti dat.

Non est qui praecipitet Iezabel reginam,  
Deleat idolatras per opem divinam,  
Et de templo Baalim faciat latrinam  
Idolaque gentium mittat in sentinam.

Quis septena vindicat matrem prole claram,  
Mortem Eleazari quis zelat amaram?  
Non est qui sacrilegum mactet super aram,  
Sed nunc emit Alchimus templum et tiam.

In templo, quod polluunt et profanant gentes,  
Crescunt vepres, tribuli, paliuri, sentes;  
Mathathiae filii quia sunt absentes,  
Et non est qui reprimat viros pestilentes.

Quanto plus materiam recito plangendi,  
Tanto plus invenio causam diu flendi;  
Aures audientium forsitan offendi  
Vel rerum materia vel modo dicendi.

Sed cum per Ierusalem iussi sint transire  
Viri sex et iuvenes senesque ferire,  
Matres cum lactentibus cogant interire,  
Quod erit remedium imminentis irae?

Ille vir, qui lineum habet indumentum  
Et pendens a renibus portat atramentum,  
Sacrum thau liniat in fronte gementum,  
Gladios ne sentiant malos occidentum.

EXPLICIT.

---

EXCUSATIO RITHMI.  

---

Haec qui legis, forsitan dices, quod erravi,  
Modulos et rithmicam legem non servavi,  
Quiddam est hic, fateor, quod sciens non cavi,  
Sursum tendunt aliqua, quae quasi gravavi.

Pauci quidem vitant hoc, nec ego vitavi,  
Culpam non diffiteor, sed consideravi  
Lyras horum, qui non sunt pectoris ignavi,  
Et chordas licentiae similes notavi.

Horum viam imitans paulum deviavi,  
Lapsus sum in aliis, sed hic claudicavi,  
Nec lusisse poenitet, si non plus peccavi,  
Facilem non punias culpam poena gravi.

---

## QUISPIAM AD QUANDAM VIRGINEM.

Grata deo castitas est coniugarum,  
Illa plus quam sanctitas ornat viduarum,  
Longe praecellentior virginum sanctarum,  
Luminare maius hoc lumen dat praeclarum.

Eminet prae omnibus gemma virginalis,  
Bona quaevis castitas haec est spiritalis,  
Elegantis pretii, dotis immortalis,  
Radians prae ceteris, multis carens malis.

Tam beatæ sortis est virginalis status,  
Ut coelestis regis sit thronus dedicatus,  
Spiritale solium, thalamus ornatus,  
Felix receptaculum summi potentatus.

Et excellens quamvis sit virginalis bonum,  
Cum coelesti praeparet gratum sponso thronum,  
Id est tamen gratius summo regi donum,  
Tota mens cum eligit solum hunc patronum.

Omnes autem virgines non sunt huius mentis,  
Virgo vitae diligens gaudia praesentis,  
Quae moram fert graviter thori venientis,  
Virgo non est oculis omnia videntis.

Est et virgo cupiens virgo permanere,  
Nec se timet actibus seculi miscere,  
Illa sibi noverit casum imminere,  
Nisi mundi laqueos studeat cavere.

Est adhuc et virgines quasdam invenire,  
Quas carnis integritas facit superbire;  
Istae suas lampades nolunt redimire,  
Nec coelestes thalamos possunt introire.

Harum in lampadibus oleum non fulget,  
Vanitas evacuat, blanda laus emulget,  
Vulgi virgo laudibus dum nimis indulget,  
Coram deo meritum perdens non refulget.

Praeter istas aliae solent gloriari  
Virginali gratia, sed dignae culpari,  
Est enim quae pollet hac dote singulari,  
Nec laborat alia re meliorari.

Dum sibi laus sufficit integri pudoris,  
Fructus non vult quaerere gradus altioris,  
Minus est sollicita studii minoris,  
Non surgit ad opera vitae melioris.

Talis virgo licet sit merito culpanda,  
Et, ut docet Salomon, fimo lapidanda,  
Tamen multo magis est ista toleranda,  
Quam illa, quae perpetrat crimina nefanda.

Est quae pollet gratia doni virginalis,  
Sed execrabilibus intus sordet malis,  
Studet avaritiae, quam exitialis  
Lucri fervor cupidis amplexatur alis.

Haec detractionibus linguam exercere  
Studet, haec superbiae spiritu tumere,  
Stimulis invidiae solet haec pallere,  
Haec consuevit tacitis odiis ardere.

Sed tu, virgo domini, virgo benedicta,  
Melioris semitae studiis addicta,  
Haec exempla timeas, sic propter te dicta,  
Ne servire studeas deo mente ficta.

Quidquid scis in aliquo deo displicere,  
Illud modis omnibus studeas cavere,  
Quamvis mala malum sit opera videre,  
Tu tamen sic videas ne possint nocere.

Mali mores perstrepunt et intus et foris,  
Nec corrumpi visis est maximi laboris,  
Sed qui mores corrigit exemplo peioris,  
Manus hic in sanguine lavat peccatoris.

Nec nociva quaelibet sufficit vitare,  
Cum malum vitaveris, bonum operare,  
Pigrum et inutilem quis potest amare  
Servum, quamvis dominum nolit defraudare?

Qui commissam sibi mnam non multiplicavit,  
Hunc sui sententia domini damnavit,  
Nihil illi profuit, quod eam servavit,  
Propter hoc damnatus est, quod non ampliavit.

Si mercator caverit rupes et piratas,  
Quamvis non doluerit merces minoratas,  
Si nihil portaverit nisi res portatas,  
Nosse non laudabitur vias maris latas.

Et tu, si naufragia seculi vitaris,  
Grates deo referas, et non extollaris,  
Quia, cum procedere possis, si moraris,  
Timeas ne ianuis clausis excludaris.

Divites in seculo diligenti cura,  
Multa cum possideant, quaerunt adhuc plura,  
Hi non cessant rapere cito peritura,  
Tu non cesses quaerere semper duratura.

Aggregatis plurima gaudent aggregasse,  
Servant et non minuunt uno saltem asse,  
Sic nec tibi satis sit bonis insudasse,  
Etiam ad modicum doleas cessasse.

Ire contra gurgitem nauta dum contendit,  
Si non sursum ducitur, mox deorsum tendit:  
Sic quemcunque domini caritas accendit,  
Aut placet proficiens, aut cessans offendit.

Ergo totis viribus studeas placere,  
Sursum mentem erigas, quae sunt sursum quaere,  
Omnem diem ultimum credas imminere,  
Et iam ad iudicium te ducendam rere.



Nunc aetatem teneram doceas servire,  
Tener equus facile discit obedire,  
Fac, dum molle lutum est, rotam circuire,  
Ut in usus congruos possit vas exire.

Nihil consuetudinis per te fiat pravae,  
Ad hoc pigrae tibi sint manus et ignavae,  
Quia quidquid creditur asperum et grave,  
Consuetudo facit hoc placitum et suave.

Ergo bonum agere iugiter assuescas,  
De virtute taliter in virtutem crescas,  
Ut nunquam in opere domini tepescas,  
Quod labor est aliis, in hoc tu quiescas.

Et revera quies est domino servire,  
Dulcis labor eius est iussis obedire,  
Haec dulcedo praecipit mundum fastidire,  
Non ambit, non invidet, nescit superbire.

In praeceptis domini dulciter labora,  
Cito tibi fient haec melle dulciora,  
Et ut nunquam facias nisi meliora,  
In te cuncta populi versa credas ora.

In agone similis esto decertanti,  
Ubi tantus populus, spectatores tanti,  
Magnus ibi provenit honor triumphanti  
Et major confusio male dimicanti.

Sed cur tibi populus causa sit timoris,  
Cum a mille millibus angelorum choris  
Te videri certum sit omnibus in horis?  
Nihil unquam latet hic et intus et foris.

Te cives angelici semper contemplantur  
Et de tuis actibus bonis gloriantur,  
Vide, quanta gaudia tibi praeparantur,  
Omnes tuae gloriae palmam praestolantur.

Debes quidem hominum oculos vereri  
Et magis angelicos coetus revereri,  
Sed multo propensius convenit timeri  
Hunc, qui cordis intima potest intueri.

Si coram hominibus non praesumis stare,  
Nisi prius studeas faciem ornare  
Et tibi sollicite vestes adaptare,  
Dei qualem oculis debes te servare?

In nota vel syllaba si semel offendis,  
Verecunda facie culpam mox ostendis,  
Turbat te confusio teque reprehendis:  
Et praesentem undique non semper attendis?

Immo semper videas te semper videntem,  
Semper hunc et undique cogita praesentem,  
Non te sic decipias, ut putes absentem,  
In hunc tuos dirigas et sensus et mentem.

Hunc ama prae omnibus, nil huic praeponas,  
Quidquid intus concipis, quidquid ore sonas,  
Totum in praeconium illius proponas,  
Qui nil plus quam virginum diligit coronas.

Sed ut eius valeas iussis obedire,  
Ipsius te convenit voluntatem scire,  
Quid velit, quid iubeat, potes invenire,  
Si divinos codices studeas audire.

Per te vel per alium potes hic scrutari,  
Quid vitare debeas vel quid imitari,  
Hic felici studio datur indagari,  
Unde status animae valeat ornari.

Ut praecepta domini sic scias tenenda,  
Ut nec parva quaelibet putes contemnenda,  
Quaevis parva iussio quam non sit spernenda,  
Primi docet hominis poena semper flenda.

Ut offensam igitur times praeceptoris,  
Sic contemptum timeas praecepti minoris,  
Nil servilis maneat intra te timoris,  
Nulla parva negligat magna vis amoris.

Magnus amor praecipit omnia servari,  
Nihil praetermittere, cuncta perscrutari,  
Sic amare satagat, sicut vult amari,  
Amor, si quid negligit, non debet vocari.

Nihil ergo negligas, sed cuncta scrutare,  
Parva cum maioribus studeas servare;  
In his pausa iugiter, in his meditare,  
Per haec mundi vitia discas superare.

Contra mundi vitia magnus est conflictus,  
Ille dat, hic vicibus versis suffert ictus,  
Ille stat viriliter, ille cadit victus,  
Ille flet tenacibus vinculis astrictus.

At tu, dei famula, quae non corruisti,  
Sed in bello fortiter adhuc perstitisti,  
Quoniam te protegunt armamenta Christi,  
Levius eriperis ab hac pugna tristi.

Cunctis est facilius intra murum stare  
Et ex alto iaculis hostem propulsare,  
Quam receptum turribus captis expugnare,  
Labor est et taedium fracta reparare.

Sic per dei gratiam, virgo benedicta,  
Hunc vincis facilius, a quo non es victa,  
Sponsi tui legibus ita sis astricta,  
Ne gaudere valeat hostis de te victa.

Quae mundana pedibus gaudia calcasti,  
Iam ad coelos aliquem gradum praeparasti,  
Perstes et sis humilis, sicut inchoasti,  
Condemnavit perfidis rex superbam vasti.

Quem ille significat huic stude placere,  
Et mundi, quae praeterit, gloriam non quaere,  
Nam te cur elegerit Christus, dum videre  
Dederit, feliciter poteris gaudere.

Audi nunc mysterium excellentis rei,  
Propter hoc electa es, ut sis sponsa dei,  
Christus sponsus tuus est, cuius speciei  
Decor pascit angelos, qui ministrant ei.

In te sibi voluit templum dedicare,  
Quanta diligentia debes hoc ornare,  
Quod coelorum dominus non solum intrare,  
Sed cum suis angelis vult inhabitare?

Si potentem hospitem fores susceptura,  
Provideres utique diligenti cura,  
Et cunctis praeciperes sub gravi censura,  
Ne quid ipse cerneret nisi placitura.

Vide nunc, suscipere quanta diligentia  
Debes hunc, qui continet et gubernat omnia  
Qui, si nulla viderit inconvenientia,  
Domum ineffabili sublimabit gratia.

Ergo tam magna dignum maiestate  
Hunc adorna thalamum morum honestate,  
Nihil in te lateat, nil procedat a te,  
Nisi quod conveniat virgini sensatae.

Verecunda facies virginis ostendat,  
Quid bene disposita mens intus intendat,  
Linguam, sensus, opera sua sic attendat,  
Ut omnes aedificet, neminem offendat.

Cuncta quidem corporis membra gubernari  
Possunt, sed non facile lingua refrenari,  
Quisquis linguam meruit iuste moderari,  
Perfectorum potuit meritis aequari.

Mira membri satis est huius habitudo,  
Osse carens frangit os eius fortitudo;  
In ipso dulcedo est et amaritudo,  
Excitat incendia, quamvis sit in udo.

Res est monstro similis, sed rem tam monstrosam  
Et tam plenam vitiis fac non vitiosam,  
Quam perversi faciunt sibimet damnosam,  
Tua virtus faciat esse fructuosam.

Igitur custodiam tuo ponas ori,  
Nulli morem gerere velis detractori,  
Detractores devovent angelorum chori,  
Malum hoc non convenit virginis honori.

Non solum non detrahas, sed nec detrahenti  
Aures tuae pateant et maledicenti,  
Mox sit tuus similis vultus irascenti,  
Per quem tuae pateat displicere menti.

Lapidem, quem penetrat lapis iaculatus,  
Si auctorem repetit aut cadit in latus,  
Sic sermo maledici quamvis faleratus  
Mox in ipsum redeat, aut cadat frustratus.

Qui postquam se viderit a te fastidiri,  
Non praesumet amplius coram te mentiri,  
Adulator etiam desinet blandiri,  
Se non efficaciter sentiens audiri.

Maledictam igitur linguam et dolosam,  
Sicut deum diligis, habeas exosam;  
Potionem sumere fugis venenosam,  
Magis linguam fugias animae damnosam.

Valde quidem malum est vitium detractio,  
Nec minus est noxia lenis adulatio,  
Illa mentes allicit quodam maleficio,  
Haec pascit auriculas suaviori vitio.



Cuiuscunque mentem haec suavitas obsedit,  
Se decipientibus plus quam sibi credit,  
Felix cuius animus procul hinc recedit,  
Qui nec isti vitio laeditur nec laedit.

Cum sit decens quemlibet linguam domuisse  
Et ori custodiam circumposuisse,  
Virgo Christi credita timeas dixisse,  
Quidquid tibi melius foret tacuisse.

In te taciturnitas sic debet ornari,  
Ut loquentis pondera iustum sit amari,  
Quidquid coram pluribus erubescis fari,  
Hoc in mente tacita pudor sit versari.

Et cur hoc? Quis videt hoc? Certum est videre  
Illum, cuius oculos nil potest latere,  
Tantae puritatis vult thalamum habere,  
Nullam prorsus maculam potest sustinere.

Puritatis decor hic, quem tu dilectori  
Tuo debes, nascitur ab interiori,  
Dum coelestis praeparas ornamenta thori,  
Cultui non operam des exteriori.

Quanto plus extrinseco cultu vis placere,  
Tanto plus te noveris deo displicere,  
Et quamvis tu gloriam nolis hinc habere,  
Scandalizas alios et potes nocere.

Hominum ad oculos dum culta procedis,  
Et gressu composito leniter incedis,  
Nil multorum mentibus te nocere credis,  
Quorum conscientias vulneras et laedis.

Vas es deo forsitan pulchrum et amoenum,  
Sed quantum ad aliquos faece mortis plenum,  
Plurimis es gladius, multis es venenum,  
Iuvenum perniciēs et fortasse senum.

Cultum ergo nimium studeas vitare,  
Et stultorum oculos cesses inescare,  
Quamvis viam teneas, nolens deviare,  
Parce tamen aliis nec cogas errare.

Maritata creditur, quae studet ornari,  
Vel mariti copula cupit alligari,  
Inter Christi virgines nequeunt beari,  
Quae se cultu corporis cupiunt amari.

Virgo cui formositas corporis vilescit,  
Et ornatu vario lascivire nescit,  
Corporis lasciviam citius compescit,  
De virtute citius in virtutem crescit.

Tamen est in omnibus modus observandus,  
Et ornatus corporis ita temperandus,  
Aliquo ne vitio sit vituperandus,  
Est enim, qui nimis est humilis, culpandus.

Non utaris nimia vestis vilitate,  
Latitat superbia sub humilitate,  
Et omnis hypocrisis longe fiat a te,  
Nihil huic est virgini deo dedicatae.

Quid enim dementius quam decolorare  
Faciem et corporis suavia vitare,  
Crebra per ieiunia carnem macerare,  
Et laboris praemio poenam exspectare?

Iustae qui iudicium timet ultionis,  
Detestatur vitium huius fictionis,  
Veris si beari vis et non fictis bonis,  
Fictae nihil apud te sit religionis.

In te sit sinceritas et morum perfectio,  
Non fucata sanctitas, sed vera religio;  
Menti, verbis, actibus sancta sit intentio,  
Haec sanctorum faciant dignam te consortio.

Sanctorum consortium si vis promereri,  
Cave secularium coetibus misceri,  
Inter illos plurima solent exerceri,  
Quae non est fas oculis virginis videri.

In conclavi soleas cum tuis sedere,  
Non assuescas saepius foris apparere,  
Nescias iuuenibus visis arridere,  
Vanaque colloquia cum illis miscere.

Ut te cum iuuenibus cachinnare nolo,  
Sic nec fraude tacita susurrare volo,  
Nunquam solo sedeas iuvene cum solo,  
Iuvenum blanditiae non sunt absque dolo.

Timeo, ne monitis te meis molestem,  
Dicam tamen: Iuvenes fuge quasi pestem,  
Cum illis adhibeas semper tibi testem,  
Caveas, ne Pylades deserat Orestem.

Unde malus oritur rumor, illos vita,  
Et ad instruendum te neminem invita,  
Nisi cuius sancta sit et probata vita,  
Non est probatissimus quivis coenobita.

Omne genus hominum tibi sit timori,  
Nolo cuncta dicere, sed parco pudori,  
Tua nil simplicitas timet, sed horrore  
Tibi sit, cur Absalon fratrem fecit mori.

Nihil tale timeo, nec oportet, de te,  
Tamen vos, o virgines aliae, timete,  
A familiaribus omnibus cavete,  
Ubi non metuitur, ibi capit rete.

Sed, o mea domina, quam coepi docere,  
Dixisse debueram potius monere:  
Inter omnes homines ita conversere,  
Ut nec tibi noceat, nec possit nocere.

Sic mores inspicias omnium honorum,  
Ut semper proficias actibus eorum,  
Apis ob hoc circuit arbores hortorum,  
Ut gustet et colligat mel de succo florum.

In errorum devio stude non errare,  
Non errat, qui regiam viam scit servare,  
Serva quidquid virginem decet observare,  
Vita, quidquid virgini bonum est vitare.

Ista brevis clausula multa comprehendit,  
Tibi, quid agendum sit, breviter ostendit,  
Sed si verba tantum quis et rem non attendit,  
Absque rei opere rem non apprehendit.

Verbis salutaribus aurem applicare  
Expedit, effectui si vis mancipare,  
Nihil prodest semina terrae commendare,  
Si sit ager sterilis, nolens fructum dare.

Ut doctrinae tibi sint verba fructuosa,  
Caveas ab opere ne sis otiosa,  
Larga sis pauperibus et affectuosa,  
Subvenire pauperi res est gloriosa.

Rebus et consilio stude subvenire,  
Etiam de modico libens impertire,  
A te sinu vacuo non sinas redire,  
Si non est, quod tribuas, affectum largire.

Apud deum animam nil magis extollit,  
Nulla confidentia mentem plus attollit  
Quam misericordiae munus iram mollit  
Metuendi iudicis et peccatum tollit.

Omnibus misericors semper habearis,  
Sed nec indigentibus tua largiaris,  
Ut te ipsam minime praetergrediaris,  
Male iuvas alios, si tu non iuvaris.

Quisquis suam patitur animam egere,  
Nec doctrinae pabulo curat refovere,  
Sed peccato morbidam sustinet languere,  
Sibi, quod dat aliis, non credat valere.

Qui carnis illecebris cupit delectari,  
Et peccati pondere gaudet aggravari,  
Hic, quandiu talis est, nequit adiuvari  
Ullis beneficiis, ut possit salvari.

Tamen beneficii valet medicina,  
Quia temperatur hinc ultio divina,  
Sed heu quam sunt miseri, de sua ruina  
Qui gaudent et exui nolunt de sentina!

Tam perverso gaudio nolo te gaudere,  
Sed pro sic gaudentibus potius lugere,  
Dole, si quos videris tales non dolere,  
Peccatores flendi sunt, qui se nolunt flere.

Sed tu, quam in filiam Christus adoptare  
Sibi vult et insuper sponsam copulare,  
Si, quod tibi praeparat, possis praegustare,  
Nihil illo gaudio velis comparare.

Huius qui dulcedinis donum praegustavit,  
Totum hunc pro nihilo mundum reputavit,  
Quid suis fidelibus Christus praeparavit,  
Cui tu servis, virginum turba declaravit.

Quid sit illud gaudium si non praelibasset,  
Nunquam spretis omnibus semet abnegasset,  
Nec ad illas forsitan deus te vocasset,  
Si non illis sociam te praeordinasset.

Ut harum consortio possis aggregari,  
Has pro tuo modulo debes imitari,  
Contra semper hominem diu procliari,  
Plus est, quam martyrio brevi consummari.



Iuventutis stimulos posse superare,  
Incentivum corporis bellum tolerare,  
Motibus indebitis semper repugnare,  
Te vice martyrii possunt coronare.

Quis sit labor ponere modum voluptati,  
Numquam acquiescere carnis levitati,  
Sed semper resistere sensualitati  
Norunt, qui hoc proelio sunt exercitati.

Iesu, qui quotidie pro te proeliatur,  
Pro te se mortificat, pro te cruciatur,  
Merito martyribus tuis sociatur  
Et sanctorum gloria iure coronatur.

Hanc exspecta gloriam strenua bellatrix,  
Adiuvent te, quarum es pia famulatrix,  
Virgo mater, virginum pia consolatrix,  
Assit tibi, tuae sit pugnae consummatrice.

Quidquid agis, studeas finem praevidere  
Et in diem ultimum tibi providere,  
Fine qualis ultimo capis apparere,  
Talem te non desinas iam nunc exhibere.

Hoc labore seculi sustine certamen,  
Ut segura videas ultimum examen,  
Tunc sanctarum sentias virginum iuvamen,  
Ut cum illis gaudeas in aeternum. Amen!

Quis hunc composuerit rithmum, si vis scire,  
Inter primos poteris versus invenire;  
Qui licet noluerit doctos erudire,  
Nihil tamen oberit simplices audire.

---

ANNOTATIONES.

---



## ANNOTATIONES.

---

- P. 4 lin. 10. Cod. in margine habet: „*yronia*.“
- „ — „ 16. Cod. *requirit*, quod metri causa mutavi.
- „ — „ 20. Cod. *Tu ne*.
- „ 5 „ 8. Cod. in marg. „*pueris et promoventibus pueros*.“
- „ — „ 9. Cod. „*yro*.“
- l. n m
- „ — „ 19. Cod. *remunerari*, i. e. lege *renumerari*.
- „ 6 „ 5. Marg. *Dominus*.
- „ — „ 9. Marg. *Adhuc dominus*.
- „ — „ 11. Marg. *meus*.
- „ 7 „ 5. Marg. *simplex*.
- „ — „ 9. Marg. *Atiquis de consilio dominum suum*.
- „ — „ 10. Marg. ad voc. duas: *in duobus filiis*.
- „ — „ 19. Marg. *huic parvulo*.
- „ 8 „ 14. Cod. *Regere si — alios ne reget*.
- „ 9 „ 9. Marg. *Exclamatio*.
- „ 10 „ 4. Cod. *videt*, quod mutavi.
- „ 11 „ 6. Cod. *bracheolis*.
- „ 12 „ 5. Cod. *tam*.
- „ 14 „ 4. Cod. *noctuum*.

- P. 14 lin. 5. Marg. *De illo qui nisum plorando sepelivit*. Ceterum cod. habet: *Dixit in officio*, quod num recte emendaverim iudicent peritiores.
- „ — „ 13. Marg. *Dominus*.  
s. d. s.
- „ — „ 14. Cod. *Non. egessit? ita*. ut domini et servientis vices pateant. Sequenti versui iterum „*Dominus*“ ascriptum est.
- „ 15 „ 9. Marg. *Poeta*.
- „ 16 „ 13. Marg. *Qualiter vadunt celebrare synodum*.
- „ — „ 17. Cod. *pronuncia*.
- „ 18 „ 1. Marg. *hab*, lineola transversa per *b* litteram ducta. An hoc vocabulum significat *Habacuc* (II, 4—8.)?  
r. fame.
- „ — „ 19. Cod. *gelu*.
- „ 19 „ 5. Marg. *yro*.
- „ — „ 16. Cod. *habebunt*, recte. Error in corrigendis schedulis oculos fugit.
- „ 20 „ 17. Marg. *Lege librum r. (i. e. regum) vel ieremiam*.
- „ 21 „ 1. Marg. *Lib. reg.*
- „ — „ 17. Marg. *Aliquis ad poetam*.
- „ — „ 19. Marg. *Poeta*.
- „ 22 „ 1. Cod. *Immo vivant*. Marg. *Ad poetam*.
- „ — „ 5. Marg. *Poeta*.
- „ — „ 9. Marg. *yronia*.
- „ — „ 13. Marg. *Ad illum qui dedit*.
- „ — „ 17. Marg. *Poeta*.
- „ 23 „ 1. Marg. *yronia*.
- „ — „ 2. Cod. *yconomus*.
- „ — „ 5. Marg. *Aliquis ad poetam*.

- P. 23 lin. 9. Cod. *Meus hic consilio.*  
 „ — „ 13. Marg. *Ad poetam.*  
 „ — „ 14. Marg. *Poeta.*  
 „ 24 „ 1. Marg. *Ad poetam.*  
 „ — „ 5. Marg. *Poeta.*  
 „ — „ 7. Cod. *Dices.* Respicere videtur poeta ad Isai.  
 LVI., 10.  
 „ — „ 11. Marg. *Pagani.*  
 „ — „ 12. Marg. *ihersalem.*  
 „ — „ 14. Marg. *Paganos.*  
 „ 26 „ 9. Cod. *Scis.*  
 „ — „ 16. Marg. *Dat exemplum.*  
 „ — „ 20. Marg. *Lege oratum.* (Horat. Serm. II., v.)  
 „ 27 „ 13. Marg. *Consiliarii ad dominum.*  
 „ 28 „ 9. Marg. *Adhuc consiliarii.*  
 „ — „ 19. Cod. *quiescet.* Marg. *Magistri per doctrinam suam  
 delevisent hoc mahum.*  
 „ 29 „ 1. Marg. *Poeta.*  
 „ — „ 3. Cod. *prepositis.*  
 „ — „ 4. Lege *cedit c. cod.*  
 „ — „ 9. Marg. *Dominus.*  
 „ — „ 13. Marg. *Poeta.*  
 „ — „ 17. Marg. *Poeta.*  
 „ 30 „ 1. Marg. *yro.*  
 „ — „ 10. Cod. *neque.*  
 „ — „ 12. Marg. *yro.*  
 „ — „ 14. Cod. *monitis omnibus.*  
 „ — „ 18. Cod. *disposuerit.*  
 „ 31 „ 5. Cod. *lucrum abire.*  
 „ — „ 13. Marg. *Poeta.*  
 „ 32 „ 1. Marg. *Poeta.*

- P. 32 lin. 5. Marg. *Laudat modum istum.*  
 „ — „ 7. *Lege multis c. cod.*  
 „ — „ 9. Marg. *De illo qui cognatis suis resignat ecclesias  
 retinendo sibi fructum.*  
 „ — „ 12. *Lege redditus annuos, c. cod.*  
 „ 33 „ 1. Marg. *Ostendit quare hoc velit facere.*  
 „ — „ *supradicta.*  
 „ — „ 13. Cod. *Hec.*  
 „ — „ *ecclesiarum.*  
 „ 34 „ 10. Cod. *distributione.*  
 „ — „ 18. L. *recepturus c. cod.*  
 „ 35 „ 5. Marg. *Laudat prudentiam huius viri.*  
 „ — „ 7. Marg. *yro.*  
 „ — „ 13. Marg. *Exemplo clericorum peccant laici.*  
 „ — „ 15. Marg. *yro.*  
 „ 36 „ 5. Cod. *de folio.*  
 „ — „ 7. Marg. *Nisi viderent hoc fieri a clericis.*  
 „ — „ *pro alius.*  
 „ — „ 17. Cod. *alter.* — Marg. *De illo qui sibimet dat  
 ecclesias.*  
 „ — „ 20. Marg. *yro.*  
 „ 37 „ 13. Marg. *Ad pastorem.*  
 „ 38 „ 5. Marg. *Colonie et treviri.*  
 „ 39 „ 1. Marg. *yro.*  
 „ — „ 5. Marg. *litigans.*  
 „ — „ 6. Marg. *adversarius meus.*  
 „ — „ 8. Pro *vis* legendum videtur *ius.*  
 „ — „ 13. Marg. *yro.*  
 „ 40 „ 1. Marg. *Exclamatio.*  
 „ — „ 6. Marg. *yro.*  
 „ — „ 17. Marg. *yro.* Leg. *hodie caritas c. cod.*



- P. 41 lin. 10. Cod. *perperam plurima.*  
 „ — „ 17. Marg. *aliquis ad poetam.*  
 „ 42 „ 5. Marg. *Poeta.*  
 „ — „ 13. Marg. *gro.*  
 „ 43 „ 12. Marg. *Puerorum. iuvenum. senum.*  
 „ 44 „ 5. Marg. *Quasi etiam dicat.*  
 „ — „ 9. Marg. *Poeta.*  
 „ — „ 17. Marg. *gro.*  
 „ 45 „ 1. Marg. *Q. d. insani essent et hoc ostendit per simile.*  
 „ — „ 4. Marg. *non.*  
 „ — „ 16. Cod. *deceat.* Emendav. B.  
 „ — „ 17. Marg. *gro.*  
 „ — „ 18. Cod. *sustentare.*  
 „ 46 „ 16. Cod. *potest.* Marg. *exemplo et actu.*  
 „ — „ 17. Marg. *Ostendit quomodo instituerit.*  
 „ 47 „ 3. Lege: *dei sic c. cod.*  
 „ — „ 4. Marg. *nullo modo faceret hoc.*  
 „ — „ 6. Marg. *gro.*  
 „ — „ 10. Marg. *causidicus.*  
 „ — „ 11. Marg. *quod plus est.*  
 „ 48 „ 13. Marg. *Auditor et poetam.*  
 „ 49 „ 4. Marg. *Indecens esset valde.*  
 „ — „ 5. Marg. *Poeta.*  
 „ — „ 9. Marg. *Solo.*  
 „ — „ 20. Marg. *nequaquam.*  
 „ 50 „ 1. Marg. *Ad nobilem.*  
 „ — „ 4. *Pauperi, quod non est in cod., supplevi.*  
 „ — „ 5. Marg. *Dat exemplum.*  
 „ — „ vel *manticam.*  
 „ — „ 6. Cod. *manicam.*

- P. 50 lin. 9. Marg. *adaptat.*  
 „ — „ 13. Marg. *Elemosinis*, quod ad „*frustulis*“ refertur.  
 „ — „ 19. Cod. *immobilitas.*  
 „ 51 „ 5. Marg. *Non nobiles.*  
 „ — „ 6. Marg. *Si hoc indultum fuerit nobilibus.*  
 „ — „ 9. Marg. *Non nobiles.*  
 „ — „ 13. Marg. *Qui sunt non nobiles.*  
 „ — „ 19. Marg. *Non nobilium.*  
 „ — „ 20. Marg. *Nobilium.*  
 „ 52 „ 2. An legendum *initium?*  
 „ — „ 12. Marg. *Non utique.*  
 „ — „ 17. Marg. *Quid ergo velles frater dico tibi.*  
 „ 53 „ 13. Leg. *quoquo c. cod.*  
 „ — „ 17. Marg. *Quia eloquens non sum.*  
 „ 54 „ 5. Marg. *Animi ratio.*  
 „ 55 „ 1. Marg. ad voc. Nemroth: *Princeps huius mundi.*  
 „ — „ 4. Marg. *Operibus carnis nituntur exaltari.*  
 „ — „ 6. Marg. *Nemo pugnat eripere proximum suum de potestate diaboli.*  
 „ — „ 12. Marg. *in terra madian apud jetro. — Fugiant pastores non impendendo auxilium subiectis.*  
 „ — „ 16. Marg. *Vitia non reprimuntur nationibus praelatorum.*  
 „ — „ 20. Marg. *Pastores non sumunt vindictam de fornicariis.*  
 „ 56 „ 1. Marg. *Praelati avari.*  
 „ — „ 3. Marg. *Praelati subditos nimis affligunt.*  
 „ — „ 4. Marg. *Nullus modo audet aliquid dicere.*  
 „ — „ 6. Marg. *iericho reaedificant qui post poenitentiam ad vitia revertuntur.*  
 „ — „ 8. Marg. *Primum et ultimum filium perdidit, qui*

*Iericho reaedificavit. — Prima et ultima bona opera moriuntur in illo qui civitatem diaboli q. ipse efficitur reaedificavit peccando.*

- P. 56 lin. 10. Cod. *devicitus et*, unde scribendum fuerat *devincitur*.
- „ — „ 12. Marg. *Nemo facit vindictam de anathematizatis.*
- „ — „ 15. Marg. *Voluptas sceleris* (secularis?) *decipit etiam fortiores.*
- „ — „ 16. Marg. *Praelati et defensores populi caecati sunt molam seculi circueuntes.* — In altero marg. q. *dohum limans labiis.*
- „ — „ 20. Marg. *Nullus vel pauci.*
- „ 57 „ 4. Marg. *Nostris temporis pastores et magistri.*
- „ — „ 5. Marg. *spiritualis vel corporalis.*
- „ — „ 9. Marg. *Ministros diaboli corporales et spirituales.*
- „ — „ 10. Marg. *Tyrannica et diabolica potestas.*
- „ — „ 11. Marg. *Qui locum sanctorum tenent.*
- „ — „ 12. Marg. *corporaliter. spiritualiter.*
- „ — „ 13. Marg. *Non est qui avaritiam et cetera mala reputet vel reputari doceat quasi stercora.*
- „ — „ 17. Marg. *Machabeorum vel ecclesiam.*
- „ — „ 20. Marg. *Symonia viget.*
- „ 58 „ 1. Marg. *Templum domini sanctum est quod estis vos.*
- „ — „ 2. Marg. *Multiplicitas vitiorum.*
- „ — „ 3. Marg. *Sancti preliatores corporaliter vel spiritualiter.*
- „ — „ 9. Marg. *Lege Ezechielem.*
- „ — „ 13. Marg. *Christus.*
- „ 59 „ 4. *Sursum tendunt — gravavi.* Marg. *Producuntur. corripui.*
- „ 60 „ 8. Marg. *Quae coniugatae et viduae patiuntur.*

- P. 60 lin. 12. Cod. *perperam „potestatis.“*  
 „ 61 „ 19. Marg. ad voc. dote: „*s. virginitate.*“  
 „ 62 „ 9. Marg. *Ostendit quae illa sit.*  
 „ — „ 17. Marg. *Alloquitur illam cui scribit.*  
 „ 63 „ 2. Cod. *monitis.* Cf. ad p. 29 l. 14.  
 „ — „ 13. Marg. *Dat exemplum quod non sufficit mala vitare.*  
 „ — „ 17. Marg. *Aliud exemplum.*  
                                           molle lutum.  
 „ 65 „ 3. Cod. *terra mollis.*  
 „ 66 „ 8. *Hic, cod. hoc.*  
 „ — „ 13. Lege c. cod. *oculos hominum.*  
 „ 67 „ 17. Marg. *In divinis libris.*  
 „ 68 „ 3. Marg. *Parva iussio ut non comedere pomum.*  
                                           l. vinculis.  
 „ — „ 20. Cod. *ungulis.*  
 „ 69 „ 4. Marg. *Quam ille qui corruerat.*  
 „ — „ 16. Marg. *Lege librum hester.*  
                                           assverus. christo.  
 „ — „ 17. Cod. *ille — huic.*  
 „ — „ 20. Marg. ad v. *dederit: in alia vita.*  
 „ 70 „ 17. Scr. *magnifica.*  
 „ 72 „ 9. Marg. *Ostendatur ei quam male locutus est.*  
 „ 74 „ 3. Marg. ad *hinc: de pulcro cultu.*  
 „ — „ 5. Marg. *Ostendit quod obest aliis quamvis ipsa non delectetur ullo cultu.*  
                                           vitandus.  
 „ 75 „ 8. Cod. *culpandus.*  
 „ — „ 12. Cod. *Nihil huic et.* Locus emendatione eget.  
 „ 76 „ 2. Cod. *fucati.*  
 „ — „ 8. Cod. *Quod non est.*


- P. 76 lin. 16. Cod. *consilia*, sed in marg. *blanditiae*.  
 „ 77 „ 2. L. *instruendam* c. cod.  
 „ — „ 8. Marg. *Liber regum*.  
 „ — „ 15. Cod. *comisere*. In sequenti versu fortasse legendum est *possis*.  
 „ 79 „ 8. Cod. male *iiva*.  
 „ — „ 12. Cod. *Vilis benef.* Emendavit B.  
 „ — „ 18. Marg. *Minus punitur*.  
 „ 80 „ 13. Marg. *Turba virginum*.  
 „ 81 „ 8. Marg. *Qui non resistunt non norunt*.  
 „ — „ 18. Ad v. *diem* marg. finem.

HAMMONE  
IN COMITATU GUESTPHALIAE MARCANO  
*TYPIS GROTIANIS*  
OPERAS DIRIGENTE IULIO GRIEBSCH  
VRATISL.  
KAL. OCTOBR. MDCCCXLIX.

---









*Hammonae in bibliopolio H. F. Grote praeter  
hunc librum veniunt:*

*Lud. Trossii ad Iulium Fleutelot de paraphra-  
stae Phaedriani codice Guelpherbytano epistola.  
1844, 8. 10 Sgr.*

*Magistri Reneri de Bruæella tragoedia. Ex  
duplici recensione ad codd. Biblioth. Burg. ed.  
L. Tross. 1848, 4. 7 Sgr. 6 Pf.*

*Idem liber, chart. max. 10 Sgr.*

*Schilleri campana. Latina vertit G. a Diepen-  
broick-Grüter. 1841, 12. 5 Sgr.*